893

# DE VIRO ILLVSTRI, ATQVE iniquo Sermones duo; Autore Michaele Angelo Blondo.

IN QVIBVS VTRIQVE mores noſtræ tempeſtatis exacte nar rantur; Ad doctrinā omnium Illuſtrium Virorum.

ROMÆ.

M. D. XLIIII.

Cum Priuilegio Diui Pauli III. P. M. & Illuſtriſſ. Senatus Venetiarum in Decennium.

ILLVSTRI VIRO MARTIO Columnæ Cæſariano Legionario prudentiſſimo, ac ſtrenuiſſimo, Michael Angelus Blondus S.

QVOD viro illuſtri ſponte pollicitus ſum, illud me ſcias pro viribus ſcripſiſſe, data equidem opera collegi hæc, quæ tamen ab omnibus non videntur; quoniam & ad quos ſpectant, vix ea nouerunt, vereor autem, ne, is modus ſcribendi argutus nimium tibi videatur, cum vtroſque mores virorum illuſtrium curioſe percurrere voluerim; Veruntamen, vt barbaris omnibus, & peregrinantibus gratum eſt, & minimarum rerum, quæ fiunt alicubi certiores reddi, Ita & viris etiam omnibus arbitror pergratum eſſe omnium morum illuſtrium virorum indies fieri certiores, namque mores mutantur ad ſimilitudinem temporis; In hoc autem precor te, vt hoc officium arrogantiæ meæ non condemnes, quod hos præcipue ſermones de moribus virorum illuſtrium deſtinauerim tibi, non quin mihi ſuauiſſimum non ſit, excellere te virum illuſtrem, at quoniam mihi ſuadeo te maioribus operam dare, quàm ſunt mores virorum, Legionariũ namq; Cæſaris magis ardua ſolicitant, ſed quoniam prædicatur vulgo de pace populis gratiſſima, inter Cæſarem, & Regem Galliæ facta, Ideo depoſitis armis,

moribus,& literis incumbendum erit;propterea ſermones hos percurrere egregium fore puto,nam inter viros poſthac fiet quæſtio de moribus, quibus etſi nouerim te eſſe ornatum,volui tamen ſermones hos,vt morum exemplaria ſcripſiſſe,quæ dum viris oſtenderis illuſtribus,præceptor vtique morum videberis,hic namque & mores probatiſſimi,& fugienda vitia continentur, quapropter ſi te delectabunt hæc,indies te vnà cum fratre tuo R.Epiſ. Auerſano maioribus vigilijs meis excollere promitto ; nam etſi Compendioſa de medicamentis,qua fratrem tuum R. Epiſ.collui,cum ſermonibus his,quid breue, & paruulum ſit,Tamen ijs etiam meæ ſeruitutis,atque beneuolentiæ magnitudinem comprehendes, Itaque cum hæc tibi grata fuiſſe cognouero,me exponam maioribus, quibus tradam poſteris te fuiſſe clariſſimum.

Vale.

# MICHAELIS ANGELI Blondi Sermo de Viro Illuſtri.

I NCREDIBILE eſt, quanta admiratione dignus eſt ille, cuius illuſtris gloria, peregregios etiam viros ſolicitat, ad proprium honorem, & patriæ commodum, vel cuius modeſti mores vel doctrina, optimos quoque adoleſentes excitat ad ſtudiũ liberalium artium, & fructum diſciplinarum immortalium, quod nos valde mirantes, magnam partem noctium peruigiles conſumpſimus, quia reliquum temporis, quo hoc libentius efficeremus, quibuſdam tormentis terrimus; Nam in affectibus valitudinarium illud conſumimus; Notum enim eſt vobis illud Senecæ, quòd quædam tempora ſurripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt, Turpiſſima tamen iactura eſt, quæ per negligentiam fiat. quæ igitur ſit vita hominis, cum requies in labore, cõſolatio in miſeria, & omne eius ſolatium poſitum eſt in curis, & laboribus, Vir tantum illuſtris optime comprehendere poteſt. Igitur cum quiſpiam laudabili etiam fruitur otio, & de laudibus alicuius aliquid dicturus eſt, timet ne vel minus dicat, vel modum non attingat, quo laudem potius, ac ſtudia illius inficiat, quàm extollet, ſatius itaque tacendum eſſet; Quod etſi nos etiam timemus, tamen optimi principis, & maxima laus hortatur, et quoque

immenſus honos monet, vt quoquo modo dicemus de proprietatibus viri, veniam impetraturos. Omnes enim & integerrimi homines, virum illuſtrem, & patrem, & dominum intuentur. quoniam is, ſuaui ſermone quoſdam reuocat ad ſtudia, Pleroſq; etiam hortatur ad proprium honorem; Itaque auguramur, neque nos hoc augurium fallit, omnia officia dicti viri, vt hiſtorias immortalia futura. quæ, dum cupimus ſcriptis inſerere, etſi non vt deberemus, tamen faciemus vt poterimus. Pulchrius enim eſt virum illuſtrem operibus inſcriptum eſſe, quàm eius faciem ab optimo quoque artifice exprimi. qualeſcunq; ergo, ſat eſt, prædicatores viri contingant, qui dum nouerint eius honeſtiſſimos mores, non dubitabunt efferre, virum cupidum eſſe omnium, quæ ſanctiſſimæ vitæ conferunt. Propterea, ille, vulgo debet vocari illuſtris, & venerari non minus quouis optimo principe, qui omni ingenio, & propriam laudem, & aliorum honorem cuſtodit. quare etſi plurima digniſſima quauis laude nouerimus in principibus exterarũ nationum, Tamen ea in ſingulis illuſtribus Italis cognouimus, quę vt exemplar eſſent poſteris, legimus, vt quis colligit flores per virentia prata, Namque cuiuſlibet viri redolent mores plus quàm aromata, quos dum quis immitabitur, facile ſuperabit fortunam plurimorum; Illumq; proculdubio bonorum conſortia laudabunt, non minus, quàm cui plurimi obediunt; Probe ergo ſuccurrit, quod Piu. in de vita

Alex.retulit,inquiens;quemadmodum igitur picto-
res,neglectis cæteris partibus, ex facie & vultus
forma, vnde morum inditium extat, ſimilitudines ca
piunt, ſic & nobis indulgendum eſt, vt animorum
ſigna ineamus, per ea vtranque vitam ſignifican-
tes,eorũ amplitudines,& res bellicas alijs relinquen
tes. Propterea non immerito dicemus heroem, illu-
ſtrem virum,quia heros apud Grecos vocatur amor,
quo verus princeps ſemper plenus eſt, eiuſdem &
pietas & beneuolentia, cum charitate, propria dos
eſt;Neque aliter dicendum eſt,quia & verum hero-
em,& illuſtriſſimum principem dicimus illum,qui o-
mnium familiarium gerit curam,vt domeſticorum;
Reliquos autem qui illuſtres dici cupiunt,dictas non
poſſidentes proprietates, dicemus de genere Scy-
tharum,vel maiora monſtra Leſtrigonis, & Ciclo-
pis;Sed qui fuerit vir patritius,atque illuſtris deſide
rabit vocari,proſpiciet nobilitatem priſcorum, qua
& accendetur etiam,quoniam ſiqua eſt omnino no
bilitatis vtilitas, hanc præcipuam animo vir habet;
Nam ſtudium emulandi maximas vires poſſidet,
quamuis occultas;Itaque pulchrum eſt optimis emu-
lari propoſito exemplo virtutis domeſtico, nec pro-
pter aliud hoc diximus,niſi quia percepimus quorun
dam nequam ſermonem,qui vehementer omnibus il
luſtribus,& virtutem ſubtraxit,& honorem,tamen
mali potius detrahunt ſibijpſis, quàm alijs maledi-
cendo; Proinde ſiquis ſapit, ſeipſum proponat ad

exercendas bonas artes, per quas ſi nobilis fuerit, videbitur genere non indignus, ſin minus, ipſe genus ſuum ornabit, Veterem illum Themiſtoclem imitatus, cui cum probro obijceretur, quod nothus eſſet; at ego, inquit, a me ipſo genus auſpicabor, ac meum quidem genus a me incipiet, tuũ vero in te deſinet. Ideo illuſtri nomine ille dignus eſt, qui non timet aggredi ea, quæ honeſtiſſimæ vitæ conferunt, etſi non fuerit deductus ab aliqua priſcorum familia; Itaque qui collit bonas artes, et approbatis moribus dat operam, is nomine dignus eſt tali; Verum dum quis luxuriat in collecto auro, argentoue, & antiqua gloriatur nobilitate, is, penitus eſt ignobilis, quoniam & Demoſthenis, & Diogenis illud præclare legitur, quorum alter diuitẽ indoctum appellauit ouem onuſtam aureo vellere; Alter dixit ſimilem Ficis arboribus in præruptis locis ſtantibus. Et Socrates apud Pla. retulit, In quo vnuſquiſque prudens in eodem & bonus, propterea remoto omni diſcrimine, arbitramur illum eſſe illuſtrem, qui morum vbertate fulget vt radius Solis. Hæc ergo cum ſint de virtutibus viri, merito laudatur ille, qui prudens fuerit, quia prudentia viri dos eſt maxima; Ideo non eſt mirandum, quod quilibet bonus princeps dicitur illuſtriſſimus; Eſt namque ſingulis principibus bonis, cupido honeſtæ famæ, hoc enim & Romanos duces olim euexit. Itaque vltra corporis robur, & animi præſtantiam, decet virum illuſtrem eſſe humillimum, af-

fabilitate

ſtabilitate plenum, Cuius hoſpites etiam gloriantur profiteri familiaritatem, quibus dum obtulerit neceſſaria commoda, illuſtriſſimi viri profitebitur officium; Præterea virum talem nullius calamitatis oportet eſſe cupidum; Verum decet illum vniuerſum populum, pro viribus, familiariſſime amplecti, vt quid cariſſimum, Et in quibus poſſit rebus prodeſſe, ſemper nitatur eſſe vtiliſſimus, quia his officijs proprium nomen, multum efferret, Ideo vndique dulciſſima gratia omnium circundabit illum; Quis enim ignorat ipſos etiam priſcorum deos, nō ob aliud laudari, niſi propter bonas artes, atque optimos mores. Igitur cum quis attentius proſpiciet res præteritorum illuſtrium, comperiet non eſſe factos illuſtres ex ciuitatibus, ſed contra, per viros tales, & præſtantiſſimis officijs armatos, proprias patrias eſſe nobilitatas; Quantum ergo laudandus eſt ille, qui ius vnicuique ſuum ſeruat, vel quàm efferendus eſt, qui ſuam patriam nititur ſeruare in libertate, quæ dum fuerint cordi viro, maximum in decus ſcribetur, atque honorem illi, quod nullius alterius officij gloria ſuperabit. Ideo probe Plato in legibus vult, quòd tria ſint inditium bonitatis hominis, Honeſta officia animi, corporis venuſtatem, & pecunię moderatum vſum. Et Seneca retulit, Vir bonus eſt, qui eo affectu perduxit animum, vt nō tantam peccare non vellit, ſed etiam non poſſit. Hæc igitur dum in illuſtri fuerint viro, erunt ſignum eius appetendæ familiaritatis;

Hinc enim quædam militia morum naſcitur, quibus non tam illuſtres viri, verum & reliquum genus per egregie ornatur, demum his moribus ornati homines & cœleſtia venerantur, Et illum ſanctiſſime col lunt, qui trinus, & vnus eſt Deus; Et qui primus inter Reges, qui caput, medium, & finis eſt omnium; Etiam munere cuius ſemper cuncta plena ſunt vbique; Ideo qui eius auxilio firmauit ſedem, honorifice viuet in terris, & ad poſtremam horam ſuæ lucis ſaluberrime deſcendet, quoniam Deus & terram fundauit, & cœlum ornauit fulgentiſſimis ſyderibus, & plantas diuerſa dotauit proprietate, quia omnipotens, quare, vt mortalibus eius virtute emittit terra alimentum, ita & optimi mores deſcendunt e cœlo, Propterea quando quis ex illuſtribus eius man dato omnem vtilitatem, & commoda parta eſſe pro ſalute familiarium fatetur, Et potius inops videri cupit, quàm proborum gratia carere, tum illud erit ſignum veræ probitatis; Sed qui diuitem appellant vi rum illuſtrem grauiter decipiuntur, namque in acqui rendis facultatibus, qui ſtudio dant operam, arbitrantes, remotis opibus, nullum verum virum eſſe, quaſi incommodis, & theſauro virtus ſit poſita illuſtris, vtique falsò iudicant, quia terreſtria dicto citius euaneſcunt, & inſtar rapidi torrentis deffluunt; diuitiæ itaque non ſunt appetendæ, quinimo fugiendæ, ſunt enim cauſa odibilis ignorantiæ, quoniam oportet quemlibet virum ornatum eſſe ſtudijs libera

libus, ne cadat in ſimilitudinem, quam quidam non inelegans retulit, inquiens, iſtos ſimiles fontibus, Itaque ſi diuitiæ, virtutem ſpernunt, & luxuriam nutriunt, damnandæ ſunt, vt quæq; horrendiſſima, neque agilis caleritas omnino laudari debet, nec decet virum diuitias vltra modum cupere, nec aliquem honorem aſcendere, remota familiaritate prudentum; Etenim optimus vir fugit & blandos ſermones, præcipue habentes acanitum, ſub nectareo guſtu, ne poſſit vocari auceps mortalium. Ideo dum vir illuſtris ſpreuerit hęc, arbitrabimur reliquos mores eius laudatiſſimos eſſe, quia dum abiecerit fugienda, auream fatebimur, vt poſſidet proprietatem, quæ conſcientia dicitur; Et eſt vir bonus, qui intra hominem loquitur, & in corde ſuo; de qua, & M. Tul. cum nobis ſuadet quodque verbum ſuane, quoniam ferinam rabiem procul pellit; Inquit enim tam in acquirendis, quàm in ſeruandis rebus ſimulationem eſſe contrariam, vt & fortuna aduerſa eſt contraria, Præterea quod vis verbum illitum extra, dulcedine mellis, infra autem, vt medentium quædam pharmaca amaro plena, vir bonus erret, Nam pleraque medicamentorum, ſæpenumero proſunt, at mala verba ſemper obſunt; Siquis ergo cupit illuſtris haberi, atque ad extremum diem, optat libere deſcendere, ſincere viuat, atque omne ſcelus, non tam corpore, quàm etiam animo fugiat; Quoniam omnes illuſtriſſimi, eiſdem virtutibus inſigniti, non

ſolum humanæ, verum & diuinæ gratiæ ſunt participes. Tales etiam diligere natura cogimur, quinimo idem eſſe, non tam animo, verum & corpore deſideramus; decet ergo virum illuſtrem, erga miſerrimos, et maxime eruditos, liberalem eſſe, quoniã quiſque optimus hoc officio profitebitur auream virtutem; Eſt etiam hoc, magni Dei præceptum, en quanta ſit viri præſtantia appetendæ probitatis, qui dum honeſtiſſima cupit, manſuetudine plenus, iuſtiſſimorum virorum nomen conſequitur, Ideo talis nunc inter pauperes vocatur verus beneficus; Nos etiam, dum videbimus illuſtrem liberalem in egerrimos, hortabimur quemque, in neceſſitatibus, vt ſuam & fidem, & vitam illi committat. Quid tamen de affabilitale dicẽdum erit, in qua maxima viri noſcitur præſtantia, cum ſibi præcipua fuerit, demum & ipſius de amore, cuius virtute, natura plurima commoda præſtitit viro; Proculdubio magna, atque miranda ſunt, quæ virum illuſtrem efferunt, cuius dum quis propoſuit ſequi veſtigia, aureæ famæ laudem facile conſequetur, inſtar eius qui cuncta vitia horret, & queque nefanda fugit. Ideo ſiquis humano generi cupit eſſe cariſſimus, hæc præcepta ſeruet Pythagoræ, quia & diuinæ legis amator, & vir vere illuſtris dicetur. Iubet enim Pythagoras iuſiurãdum quodlibet ſeruare, & cuncta legitime cuſtodire, atque parentes æque, ac numina venerari; Sed propinquos, cognatos, & affines, non rerum amore, ve

rum,legis præcepto amare:his namque ſeruatis,dignus eſt quilibet hominum amari, præcipue cum moribus,& virtute ornato amicus erit, inque omnium hominum frugi ſe oſtenderit;nec aliquem duro,aut aſpero ſermone infecerit,etſi illum non leui affeciſſet iniuria, proculdubio , talia cuſtodiens, maximos conſequitur honores , atque ſuperabit Euripedem, quem multi laudant,quia dixit non expedire pulchritudinem vltra capere,quàm in medio,quod putamus non retulit ad corpus , ſed ad animam ; Et medium eſt illud,quo & beati gaudent,hæc autem ferenda ſunt,cũ media ſint & ipſam animam magis,quàm corpus reſpiciant; Et præſtantiſſima dicenda ſunt, quia dictis maiora videntur;His itaque ſeruatis,& mortalium, & immortaliũ amore vir valde dignus erit,pcipue dum diuerſorũ ciborum deſiderium proiecerit,& longam,atque ſoporiferam quietem ſpreuerit,maximam animi virtutem oſtendet ; Namque oppoſita, & diuturna quies , ſemper fuit vitiorum mater;Cum vero ab inhoneſtis ſumptibus , iracundia,& crapula abſtinuerit illuſtris, propriã laudem inuitus etiam aperiet ; Præterea quando non tam, quid fœdum,vel turpe cum aliquo non cõtrahit.ſed neque ſolus ſecum palam,neque occulte agit, valde laudandus eſt, quinimo dum iuſtitiam pluris quouis theſauro æſtimauerit , quam plerique minoris drachma faciunt,illamque & officijs animi,& operibus corporis amplectitur, inter mortales vocatur

ſapientiſſimus, Et quando quid temerarium eſt, vel ſuper quod ſepties uon conſuluerit, non efficit, laudandus eſt illuſtris; Conſtat enim quomodo vnicuiq; ab opere proprio fata pendent; Præterea cum quis commoda, & aliquas pecunias neceſſitatis cauſa ſeruat, cætera vero largitur pauperibus, is honeſtiſſime vitam compoſuit, Et qualemcunque vitæ curſum fortuna obiecerit, dum illum iniquo animo non patitur, verum quæ pati, aut repellere iacula fortunæ non poteſt, ſi premit ea pro viribus, vir vocatur fortiſſimus. Cumque nil ſuaſu alterius facit, niſi quod prudentibus, atque eius animo videtur bonum, optimus is conſultor eſt; Igitur, qui in aliorum & ſuis negotijs conſilio vtitur proborum, & quodque futurum tamdiu diſcutit opus, quàmdiu couſilio, & viua voce prudentum comprobetur, & vbi conſuluerit mature efficit illud, is eſt vir illuſtriſſimus, is etiam tam quæ ſua, quàm quæ interfuerint amicorum hilari vultu cito expedit, maxime quorum poſt factum non pœnitet, nempe is habitus morum pulcherrimus eſt; Tamen pulchriorem arbitramur audiet, ſiquis faciles noſtro ſermoni aures offeret; Seneca in quadam Epiſtola dixit; Vitia tranſmittit ad paſtores, qui patribus culpis ignoſcit, bonis nocet, qui malis parcit. Igitur cum vir illuſtris malos corrigit iuuenes, & improbos ſenes etiam corripit, paſtoribus legem imponit, ne errent vt pecus cuius cuſtodes ſunt, quoniam quiſque optimus vir hoc officio immortale ſibi pa-

rat nomen, proprium ergo eſt viri quicquid pulchrũ & honeſtum celatum fuerit, aliunde ſciſcitari, quia dicunt ſapientes turpiſſimum eſſe queque optima ignorare; Demum hac cum probitate vir illuſtris & ciuibus, & amicis ſemper mõſtratur iucundiſſimus, hæc etiam in acquirendis familiaritatibus maxime cuivis homini proſunt, aliter autem, ſi robur Achillis, aut fortioris, illuſtri viro non deeſſet, quin potius cuncta deſideria mortaliũ poſſideret, propter quod, dum inanem animi fortitudinem præſeferet, hanc M. T. ſententiam in forum promeremus; Magnitudo animi remota a communitate humana feritas ſit quædam, & immanitas; verum optimus quiſque non tam propriam, ſed & aliorum valetudinem omni fideli diligentia cuſtodit, & cunctis in operibus familiarium, iuſtiſſimi viri perhibet normam, ne quid mali accidat, quòd vel propriam, vel alterius famam inficeret, cumque dicta viro magni honoris ſint, vt optimum decet principem, adhuc maioris gloriæ recordatur. Poſtquam non nimium molli, nec ſuperbo cultu corporis, ſed potius demiſſo, ac ſimplici & victu, & indumento delectatur, neque inuida facinora vir ſuſcipit illuſtris; Tamen non nimis prodigum, nec multum auarum optimum decet virum eſſe; mediocris etenim in omnibus rebus laudatur modus; Cumque vir illuſtris Metelli Macedonis in extremis amicorũ veſtigia imitatur, & Marci Bibuli clariſſimum exemplum præponit, omnem hominem hor

tatur, vt arctiſſimam eius deſiderent gratiã, quàm aurea igitur ſtudia hæc ſint, ex officio noſcuntur eius, qui mœrentibus voluptuoſis rebus mœrorem excludit, & quoque qui parcit cladem inferentibus, quod non tam egregium eſt, quàm etiam mirabile in quouis homine; Quid iam ergo dicendum ſit amplius de moribus, & probitate viri illuſtris, quia dicta arbitramur ſufficiunt, quæ dum vir cuſtodierit illuſtris, inſtar parentum filijs certe cariſſimus erit populis; ſin vero ſpreuerit hæc, ſimilem feris dicemus, quod ſi vtiliſſima comprehenderit dicta, & illis corpus ornauerit, in omnibus controuerſijs ſemper erit tutiſſimus; Boni etenim mores cum probitate vbique tuentur hominem, & lætum diu viuere faciunt, omnesque ſuſpectus repellunt, inſtar eius qui nunquam hoſtem habuit, quamuis hac tempeſtate nemo ſoli ſibi ſatis eſt, etſi illi acutius lumẽ eſſet, quàm fuit proſpicienti naues in portu Carthaginis e montibus Siculis, quarum & numerum referebat, vel etiam celeres traglodias curſu veloci ſuperaret, vel præſtantem animo, & forma mulierem fuga vinceret, quæ plurimis quàm miſerrime mortis cauſa fuit. Præterea ſi illo Ladas tardior eſſet qui ab ortu non ſerius ſole ad occaſum vſque veniebat; Et quiſque ſolem etiam ſuperans ſuis paſſibus cederet, dum dictis non eſſet ornatus moribus, ſi priusq̃ deberet vitalis ſpiritus deeſſet illi peregregie factum ſecum fuiſſe diceremus; Quid enim eſt vita hominis

*minis moribus, & familiaritate remota, fœnum æquidem quod iam aruit; Veh igitur homini, qui ignaui ſuperbia quadam ſpernit gratiam præcipue bonorum, itaque omnibus adhuc, viro illuſtri, neceſſarijs præſtitis a natura, omnium ope mortalium eget. Tam dicimus quibus aduerſa, quàm quibus ſecunda fortuna eſt, etſi non multum intereſt, cui ſit aſpera, vel facilis; Tamen vir aduertere debet ne ſuum aduerſum obijciat cuſpidem illi; dicunt enim & principes, omnium hominum gratiam eſſe venuſtam, malorum etiam, ne vbi poſſint, noceant, præſertim cum proprium illis eſt nocere tantum; Præterea referunt, ſi quiſpiam pannis obſitus eſſet, & bonus foret, eius non eſt fugienda familiaritas; Itaque occurrit Marci grauis ille ſermo Ceciliano ferente; Sæpe etiam ſub paliolo ſordido eſt ſapientia; Cum enim paupertatis vna eadem ſit lex, quæ Caio Fabritio, quamuis nonnulli negent, tollerabilis fuit. Laudabile igitur fertur illud principum noſtri ſeculi; Nil turpius cuique homini eſſe, quàm uitam, qua fruitur ſilentio præterire, quoniam nō tam ad oſtentationem natura genuit hominem, vt ſolummodo eius mirabile videretur opus, quàm etiam, vt perpetuum nomen vir illuſtris adipiſceretur, artes colendo bonas; Non eſt igitur inane verbum illud, quod & in triuijs iam fertur, Siquis bonis moribus, & ſtudio virtutis dat operam, is miſere nequit occumbere, nec circundari paupertate, quamuis iniquis fortunę*

iaculis vexatus fuerit, quia vbi virtus vitæ fuerit comes, poſt immenſa diſcrimina ad culmen ſummæ gloriæ veniet. Ideo maria non ſunt luſtranda, neq; peragrandus eſt orbis, niſi quis errando experiri cupit quid equoris inſani poſſit vnda, Et cui diſſimilitudo morum nota fuerit, felix equidem poterit vocari, quis autem contrarijs æſtuat affectibus, hunc domi focum hortamur fouere, ni errando optat eſſe miſerrimus, Hac demum ratione motus illuſtris, fert, maris, & fœminę grauiſſima eſſe diſcrimina, veſanum igitur arbitramur, qui ſe cito inſtabilibus vndis committit, & morti quippe certe, quàm ſectæ tantum diſferunt trabes ab aquis, propterea inſanos fluctus omnis illuſtris mandat littoribus, & alienos errare per agros maxime dementiæ ſignum eſſe dicit; Hæc igitur ſi vir ſpreuerit mandata, breui extremis cruciatibus circundabitur; Eſt enim res duriſſima cum quis alienis in regionibus non habet, cui fideli animo hærere poſſit; Difficile enim eſt apud ali genienas amicum fidelem reperire, quo vt rebus proprijs homo vti ſolet. Ideo arbitramur nil melius homini, a ſuperis datum eſſe bonis moribus cum aureo lumine virtutis, etſi nonnulli diuitias, alij vero valetudinem, alij etiam honores, multi autem & voluptates, dictis præponunt fructibus, quod tamen omnium eruditorum olim præterijt opinionem, quia cuncta hæc non minus caduca, quàm incerta ſunt, præſertim ſi in manibus inſtabilis fortunæ verſan

tur. Si me igitur rogatis quid ipſe magnifacerem, nil equidem magis ſuimet ipſius notione aurea præpoſita virtute, quod cum ita ſit, arbitramur cuique homini pluſquam frugi eſſe, bonorum ſtudio morum pro viribus incumbere, & quod natura præſtiterit temporis, celeberrimo literario frui genere ſtatuendum; Virtus enim eſt medium quodam, quo probatiſſimi mores totius orbis aſſequuntur, quibus clariſſimum nomen noſtrum ſeruatur per ſecula, ſed tua iam mecum dices ſententia eſſet, ni & temporum calamitas, & improborum hominum imperium obſtaret nos vero leuis animi hominem æſtimamus, dum ignorat aduerſis fortunæ fluctibus non eſſe cedendum, quimmo contra nitendum, vt & illuſtrium virorum, & proborum hominum præcepta conſequatur. Propterea, maximis in perturbationibus maxima virtute vtendum eſt, quia niſi talibus in rebus conſtantis animus cognoſcitur, non enim M. T. neque M. Catonis tanta eſſet & virtus, & morum copia, ni magna temporum calamitate turbati fuiſſent; nemo igitur robuſtiſſimorum hominum fortis, deficiente virtute dici poteſt, ideo qui plurimis aliquo honore præſtare deſiderant, vitam ſilentio, non prætereant, ſed totis viribus & corporis, & animi gloriam virtutis aſſequi conentur; Quid demum amplius de viro illuſtri dicere poſſumus, dum rogatis? magna æquidem. Cauendum autem eſt, ne te faſtidiant, pronum vero ad probitatem bonorum, hæc mini

me faſtidiunt; Non eſt ergo ceſſandum imitari viros, quia non tam ſequuntur & M. Agrippæ, & P. Lelij veſtigia, quàm etiam laudabili in familiaritate ambos excellunt, Illi namque iure humano tantum amicitiam colebant, ſed viri illuſtres lege diuina colunt eam, propterea non tam mortalium, ſed & diuorum & bona mente, & rebus ſecundis ſortiuntur gratiam; illi enim per auguria familiaritates nec captant, nec fugiunt, nec dicunt vt ignaui, ſatis homini rerum ſuarum curam eſſe, itaque non vnius, ſed omnium amicorum vir illuſtris ſollicitus eſt, præcipue cum officia Metelli Pontificis Maximi in rebus ſacris de more chriſticolarum imitatur, qui non patiebatur gerentem pub. curas, ſacris rite non peractis egredi Roma, principium namque ſemper fuit religio ad bene beateque viuendum, quia omnium & ſecuritate, & rebus frui ſecundis inducit omnes, ideo illuſtres hanc Marci ſententiam referũt, quoniam bonis in rebus malis exemplo eſſe cupiunt. O præclaram ſapientiam, ſolem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt; fugit itaq; ab illuſtri viro omne ſcelus, libido, pigra cum ſegnitie, loco quorum bonitas, animi temperantia, & corporis fortitudo laudabilis ſubſequitur, his etenim cum virtute omnia aduerſa vir tolerat, Et vt animus bene inſtitutus, proſperis rebus amicorum lætari ſolet, ita vir ſapiens aduerſis familiarium triſtari conſueuit; mœror enim & gaudium, omnium & corpus

& animum,& inficere,& afficere ſolet hominum, quoniam iſtis corda mortalium,& afficiuntur,& inficiuntur. Cauēdum eſt etiam a grauioribus morbis, quia grauius corpus inficiunt, meratiora demum vina ſunt fugienda, ne ſcelus virum occupet, quod Alexandrum oppreſſerat, qui cum temulentia infectus eſſet, proprium amicum interemit, ad quem ſapientia clarus Androcides cohibens illum his verbis ſcripſit; Vinum potaturus rex memento te bibere ſanguinem terræ;quia ſicut venenum eſt hominibus cicuta, ſic & vinum;quod & Naſoni viſum eſt, cum inquit, vino forma perit. Propterea temperantia in rebus maxime eſt laudata, quia non minus vinum hebetat ingenium, quàm Venus eneruat vires;quando igitur omnino hæc vir amplecti animo propoſuerit, fiet proculdubio bonis cariſſimus. Præterea officium dicti viri eſt, quicquid nouerit laudabile palam ferre;Ideo ſi vir humanam cohiberet ſocietatem, illamque e cōſortio hominum traheret, magnum quippe ſcelus faceret, vt qui omnem virtutem expelleret, cumq; mortalium quiſpiam veram perdiderit amicitiam,& propriam ſi perdidiſſet vitam, incongruum non eſſet, namque remota beneuolentia proborū, maior morbus naſcitur viro, ꝗ debili ſenectute;Etſi decrepitas ipſa morte magis horrenda videtur, quoniam & vires animi, & formam corporis perdimus, Ingenij etiam eius ob cauſam, & memoriæ,& ſenſuum ebetes efficiūtur homines, omneſq;

*propriaſ voluptates amittũt, vt quilibet illuſtris aper te cernit, quod & Maro in Daph. retulit, omnia fert ætas animum quoque, propterea omnium, homo, quę ſerpunt, vel ſpirant in terris, miſerior eſt, recte ergo, inquit prudens, hæc vita, non vita, ſed calamitas vere dici poteſt; Illam autem fideles amici beant, pręcipue euolutis moribus conquiſiti, illis enim nimirum felix, ac beata efficitur vita hominum, aduerſa igitur ſiquando fortuna acciderit amicis, haud aliter pellenda erit, quàm ſi ipſi viro accidiſſet; hoc namque officio quiſque illuſtris vtitur, quia & illi incertum eſt an ſequenti luce, remoto proborum ſuffragio, vitam viuet, nullis vſque iactatus procellis; itaq;, quibus vis in perturbationibus, amicis, nemo magis viro illuſtri prodeſt, medijs igitur amicis, & rerum, & conſiliorum, & voluntatum ſine aliqua exceptione, inter homines eſt iuncta communitas, Modo tandem occurrit illud dubitabile, quouſque illuſtris familiaritatem ſeruare poteſt? namque haud pariter homines prauis in cauſis, vt iuſtis in deſiderij iuuandi ſunt, quod & Chilo Lacedemonius vir ſapientia clariſſimus dubitauit, quouſque, ſcilicet, contra ius, aut legem progredi debemus, & in quibus cauſis, & quem nam vſque modum? Poſtquam linguam hominis acutiorem cognoſcimus gladio eſſe, ideo dicendum eſt peiorem & feris, quæ laniant animalia; quæ corripiunt; Si ergo ageretur de vita alicuius improbi, familiaris illuſtri, propter commiſſum*

crimen, vel de ſama eius certaretur, quæ non minus theſauro eſt cuſtodienda, a recto dicimus non eſſe recedendum tramite, quoniam aliter ſumma turpitudo conſequitur; cum vero, quis, ad ſcelus accingitur, nomen ſceleſti facile ſubit; ne igitur vir hæſitet illuſtris, quid ſit faciundum, aperiam, de præcepto noſtrorum principum, quomodo horum beneuolentia abſolui poſſit, quamuis & Theophraſtus eadem abſoluit, ille enim primus his de rebus loquutus eſt Gel. tandem dicti referens verba, inquit, parua, & tenuis, vel turpitudo, vel infamia ſubeunda eſt, ſi ea re magna vtilitas amico queri poteſt, rependitur quippe, & compenſatur leue damnum delibatæ honeſtatis, maiore alia grauioriq; in adiuuando amico, honeſtate, minima, quàm illa labes, & quaſi laſciuia famæ imminentis partarum amico vtilitatum ratione ſolidatur; Cum ergo viro illuſtri alicuius vtile, & propria honeſtas ſe obiecerit, honeſtati, & famæ proculdubio fauendum eſt, nam quod laborioſe paratur, maxima cum diligentia cuſtodire debemus, ſed honeſtas, & aurea fama talis eſt, propterea non tam aliorum, verum & noſtræ vtilitati præponenda eſt, quia præponderat, etſi vtile amicorum rebus noſtris copioſius noſtram ob cauſam eſſe debet, tamen cum graue damnum occurrit nobis vnde iactura noſtræ naſcitur honeſtati, tum quorumuis cariſſimorum, honeſtas propria præſtare debet vtilitati, quando autem vtile familiarium conſideramus. In leui

materia honeſtas noſtra iacturam ferre poteſt, ſed oppoſitis in rebus arctiſſimorum vincula ſoluuntur amicorum; Cum quid ergo in ſuo genere nobilius eſt, eo cui aſſimilatur, & in ſpecie tale erit, dum qualitas conſideratur eius, quàm clariſſima ſunt hæc officia viri, dum illuſtris cogitauerit, arbitramur vt vix clariora inueniet. Tamen dum tibi moleſtum non videbitur, & lenes aures noſtro ſermoni præbueris, plurimorum etiam principum audies præcepta haud obſcuriora dictis, illuſtrem quæ maxime virũ decent, itaq; boni, referunt, principes frequentiſſime huiuſmodi verba Chilonis, quæ cum iam vetulus eſſet ferunt dixiſſe, ſibi nihil eſſe conſcium in tota vita ingrate feciſſe, vna tantum re ſe modice moueri, quod cum ſemel inter amicos illi iudicãdum eſſet, neque contra aliquid agere vellet, perſuaſerit amico a ſe iudicium prouocare, propterea illuſtris plurimi ciuium æſtimat beneuolentiam, quam, adulationibus non comparat, virtute tamen, & bonis moribus eam ſeruat, Ciues autem viro omnium hominum iucundiſſimi eſſe debent, ſed hoc inquit Gellius, ex præcepto Chilonis ſini ames, tanquam forte fortuna, oſurus, hac itidem tenus oderis, tanquam fortaſis poſt amaturus, ideo iam, cuiuſdam illuſtris referam illud laudabile, hactenus amicis indulgere vir debet, quatenus ius, & patria non polluitur, quod vtique & Arpinas ferme dixit, Contra patriam pro amico arma ſumẽda non ſunt. Et egregius Pericles

ricles docet, amicis obtemperare neceſſarium eſſe, ſed vſque ad aras, vlterius vero inſiſtentibus, potius ſoluere, quàm eorum voluntati ſubiacere debemus, itaque valde laudandus eſt illuſtris dum ſeruat quæ dicti ſapientes dixerunt; Verum ſi noſtram etiam in hoc, expectas opinionem, fatemur perpaucos homines hac tempeſtate dignos vera familiaritate eſſe, quoniam omnes flagitant potius, ea, quæ aras excedunt, quàm quæ tantum aras attingunt; propterea quorundam ſigna referam hominum, quos in veram familiaritatem eligere poteris. Demum conſtantis, atque firmi animi, & ſtabiles eligendi ſunt, quorum adeo rara copia in terris eſt, vt vix a maioribus Saturni temporibus, & in paucis ſeruatam eſſe aiunt, ſed quoniam vita noſtra non vita certe remota familiaritate, quinimo inſtar ferarum eſt, odibilis ſolitudo, ideo prudentis erit vti gratia bonorum, qua curſum furentis beneuolentiæ frenare poſſit, Etſi aconitum videretur alijs te redarguentibus, more Platonis reſpondebis, qui opem Cabrie præſtans, inquit, Quãdo pro patria militabam, pericula pertuli, & modo amici gratia, ne deſim officio, perlibenter me periculis expono; Rectiſſime ergo illuſtris, tam amicum, quàm eius gratiam cuſtodit, maxime quando, vt Æmilius Lepidus cum amicis iniuriam deponit, nectens ſe cum familiaribus vinculo perpetuæ beneuolentiæ. Caninium Gallum, Aphricanum, & Cœlium Rufum ſemper imitando,

nomen optimi principis per ſecula poſſidebis, quod nulla vetuſtas temporis delere poterit, ideo illuſtris omnibus in rebus, & grauis viri, & conſtantis, animum præſtat, nam aſſequi ſperat inter mortales diuinum potius, quàm humanum nomen; Nil enim in rerum natura præſtantius eſt nomine bono, quo quantum fulget, Marcus Regulus arbitramur illuſtri viro notum eſſe, Sed quoſdam etiam peritos audiuimus dicentes, quod multorum gratia cito ſeneſcit, malorum, ſcilicet, in modum præmaturi pomi, bonorum vero, nimis lucida, atque æterna eſt, cum præfatis moribus fuerit copulata; itaque, dicunt eru ditiores, quòd vir illuſtris, talis in amicos debet eſſe, quales in ſe futuros optat illos, Inſtar prudentum, ſeruando quamlibet approbatam vetuſtatem, tam in animatis rebus, quàm in ſenſu carentibus, namque magna laus inde oritur viro, præcipue dum maior eſt, tamen minori par eſſe deſiderat; Talis enim eſt & ordo prudentum, qui nunquam exprobrant, quæ familiaribus conferunt beneficia, namque officium hoc, peſſimi generis hominum eſt, bonis proculdubio odioſum, magis monſtro præter naturam edito; vera igitur cum ſint hæc, optamus, vt aliquis horum hominum, qui hac tempeſtate dicuntur principes; Referret nobis, quid magis vnquam profuit illi, gratia quos amant, vel odium, quos odio habent, virtus, vel vitium, quod plerique brachijs ambobus amplectuntur, cum aurea gratia omnium principum, non tam

commoda, verum & corpora tuetur, nequam vero odium conſumit & res, & vitam mortalium, propterea virtus illuſtris latius quo vis largo flumine ſe diffundit, vitium vero ſceleſti, omnes in cladem excitat propriam, vt iam nec Æthiops, nec qui extrema terræ collunt, tanquam diſcordes deficiunt, poſt hac autem, vir illuſtriſſime, quorundam prudentum probitatem aperiemus, quam cui vis illuſtri optimum exemplum ſperamus futurum eſſe, quod dum vir imitari propoſuerit, facile cognoſcet quanti vrbana, & aliorum locorum conſuetudo eſt facienda, aliter doloſum dicemus hominem, qui ſpernit familiaritatem bonorum; qui vero hoc percalluerit officio, quo quilibet proborum vehementer flagrat, is veri illuſtris nomen ſemper poſſidebit, deſidiam autem vir plurimorum conſpiciēs, non tam mirari non poteſt, verum etiam propter tot ſcelera nequit non triſtari, quamuis aliorum curis angi non eſt neceſſarium, verum puto laudabile eſſe, vir demum illuſtris, non modo moueri ſe non neget, ſed in eo verſari confitebitur errore, in quem aliquis ex amicis inciderit, ne ſub nomine viri malum ſubſequatur nomen, huius etiam & nos cura angimur, quoniam eius & amorem, & amicitiam profitemur, quis enim huic viro in aduerſis non auxiliatur? præcipue cum mores honeſte compoſuerit, ideo miramur, vt iam non adeo mortalium, verum & immortalium gratiam non eſt aſſequutus; poſtquam & bonis moribus, &

virtute fulget, vt Solis radius; Fas enim eſt homini non tam terreſtrium, quàm & cœleſtium gratiam optare. Æquidem hac tempeſtate nullum virum præter te forti pectore cognoui, propterea tu ſolus genus deorum dici potes, quia mortalium animos tanquam degeneres paruus etiam timor quandoque arguit, Te vero maximas familiaritates vbique adeptum fuiſſe percepimus, tuum ergo exemplum, adeo probos mouet homines, vt iam necubi apparent, priuſquam tuos mores animo non compoſuerint, te demum intuentur, vt venuſta mulier lucidiſſimum ſpeculum, in te etiam dum iunior eras, omnium ciuium ſpes maxima erat futuræ quietis, quia ab adoleſcentia omnes incredibili amore proſequebaris, Itaque de moribus tuis quàm facillimis quid dicam, vel de pietate in parentes, ſiue de liberalitate in cognatos, & omnes affines, & modo de iuſtitia in vniuerſum populum, ac fauore, quæ cum magna ſint, magna etiam indigēt declaratione, ſed hoc illis relinquimus diſputādum, qui ſubtilius diſputant de moribus, atque ad tuam gratiam redientes, dicimus, quòd tuam familiaritatem cum optimis hominibus, nec Diogenis perna diſſoluit, nec caſei fruſtum renuit, quod, deſiderantibus eius conſortium porrigebat, Illis autem renuentibus, meam dicebat, ac tuam gratiam modicum caſei diſſoluit, & rupit; Recte igitur illuſtris conſtituit videre inter quos mortales vera gratia facile continetur, quia nil tam aptum, nec tam conueniens morta-

libus vir iudicat ad tuendam, & ſecundam, & aduerſam fortunæ procellam eſſe, quàm proborum, prę ſertim eruditorum, beneuolentiam; vireſcit enim vera gratia inter virum illuſtrem, & bonos ciues, verum inter malos homines nequaquam; Tamen quidam ex principibus ſæpe dubitauerunt, qui nam boni ciues dicerentur, demum, ſapientes dixerunt, & qui ſapientiam interpretantur; Nos autem neminem mortalium hactenus vidimus ſapientem, propterea nullum ciuem bonum eſſe putamus, quod & olim homines putabant præter illum, qui non ſophus, ſed maluit philoſophus vocari; Poſtquam ergo hanc in quęſtionem incidimus, oportet ſapientiam exponere, namque eius habita diffinitione, plurimos de mente principum ſapientes dicemus, quos vere & bonos vocabimus, quia ſapientes ſemper veram omnium adepti ſunt gratiam; Itaque ſapientia eſt virtus cuiuſlibet artis in communi exercitatione, & hoc ſecundum Lelium; Vel eſt etiam ſanæ mentis integritas; Vel ſecundum diuum Iacobum ſapientia eſt deſurſum. Primum quidem pudica eſt, ſuadibilis bonis, non dijudicans, & ſine ſimulatione. Et ſecundum Philoſophos eſt rerum humanarum, diuinarumq; ſcientia. Hoc idem diuus Auguſtinus in dif. ſcientiæ poſſe dici non negat. Hæc vero nobis diuidenda videntur; Sapientia rerum diuinarum cognitio dicitur, ſcientia autem humanarum perceptio vocatur; Ergo ex Philoſophorum diffinitione plurimi,

tam humanarum, quàm diuinarum profitentur do-
ctrinam; illi itaque ſapientes, & quoque dicuntur ſa
pientes, qui omnia pro vtilitate communi pati non
ſpernunt, Et qui ſponte cuncta faciunt, vt neque in
uiti, neque coacti, quicquam faciant; ſapientem etiã
dicemus illum cui hæc quatuor non deerunt, bona na
tura, optimi mores, ſtudium, & perfecta doctrina,
quæ Catoni, & Lucio Attilio erant cariſſima, alter
quia iuriſperitus erat, alter, quia & domi, & in ſe-
natu, vt in foro, cuncta prudenter ferebat; Itaque
conſtat hos etiam vltra ſeptem Græciæ, fuiſſe ſapi
entes; Horum ergo ſæpe vir recordatur illuſtris, vt
amicos eorundem morum efficiat amantes. Quando
igitur vir in cœtu bonorum eſt, quo illum etiam ho-
mines iudicent bonum, recordatur præcepti illius, qui
ſpectans certamen tempore quo ſitiens furit Cani-
cula, & ſiti nimium defatigatus obijt diem; Cuius il
lud cognitu fertur, ſemper difficile ſe ipſum cogno
ſcere, quod vtinam omnibus notum eſſet principibus;
nec tamẽ vir Solonis Salaminij immemor eſt, is enim
legum bonus repertor fuit, de Chilone quid dicam
Lacedæmonio, qui ſic vocatus a labijs obductis, vel
Pythaco Mitileneo duce, qui ſingulari certamine
Phrionem Athenienſium ducem ſuperauit; hos enim
illuſtris ſemper imitatur; Bias vero Prianenſis, ſem-
per ante oculos viro illuſtri eſt, quoniam vir, o-
mnia bona ſecum portat ad imitationem eius, is
tandem patria ruente, & flammis tecta ſuperanti-

bus,poſthabitis omnibus rebus, ſe tantum heſtium ab incendio liberauit,de Cleobolo tandẽ Lidio quid dicemus,cuius patria Meonia dicebatur,vel de Periandro Corinthio,cuius natale ſolum a Græcis Yſthmos dictitatum eſt,vbi dicunt ciuitatem conditam a fure quodam & Corcire nomen dediſſe; Corinthij vero poſt euerſionem Ephires,nomen obtinuiſſe,demum omnium horum,dum vir veſtigia ſectatur,non adeo bonis, verum & malis hominibus carus erit; Tandẽ a diuerticulo redientes ad rẽ,dicimus,in quibus etiam candida erit fides vera integritas,approbata æquitas,venuſta liberalitas,& nullius præferetim pulcherrime turpis cupido, vilis libido, vel ſaltem mala audatia in rebus, ſed optima aurei animi conſtantia,vir & illuſtris,& ſapiens vocabitur,propterea & bonus princeps,qui facile probitatẽ optimorum hominum & gratiam aſſequitur,vel datam omnibus natura iucundiſſimam ſocietatem, quia ferunt naturam concordiam genuiſſe,quàm perpauci his temporibus noſcunt,vir autem illuſtris hoc ſuaui ſermone docet omnes. Concordia inter homines eſt beate,ac feliciter viuere cum amicis, vel eſt beneuolentia alternata,quã Arpinas diffiniens,inquit, Nil aliud eſt amicitia,niſi omnium diuinarum, humanarumq; rerum cum beneuolentia,& caritate ſumma conſenſio,Ideo omnes,qui in virtute bonum,locauerint animi, facile concordiam, & vires eius conſequuntur,quoniã virtus gignit, & continet amici-

tiam,Inde etiam oritur,quòd quiſque virtute pollens pollenti virtute adhuc inſpecto amicus eſt,quod Tullius hoc ſuaui affirmat ſermone; Nihil eſt virtute amabilius, nil quod magis alliciat ad diligendum, cum propter probitatem,& veritatem, etiam quos nunquam vidimus,diligimus. Nemo tandem illuſtrium virorum aliter diu ſpirare poteſt,niſi qui mutua gratia in ſinu amici quieſcit,quo nil dulcius habere poſſumus,neque quo cum licentius ratiocinari audemus;Quales ergo fuere, quos Marcus memorandos tollit,vel duo illi, qui inuicem ita ſe mutuo dilexerunt,vt alter alterius ſanguinem manu dextera tractum cum abſorbuiſſet,nec in extremis fortunæ caſibus,neque in felici vitæ curſu ſeſe deſeruere,vt veri illuſtres,quorum commoda non magis vnius,quàm alterius erant,& vnam domum colentes omnia communia ſemper fuerunt. Demum, nil viri ſecunda clariora facit,quàm ipſa vera concordia ciuium;vulgarem autem poſt tergo, quamuis malis & prodeſſe,& delectare ſolet,quoniam & illa magna commoda in viſceribus, ſed falſo tenet,vera autem ſemper poſſidet ea,quæ magna luce apud poſteros continue fulgebunt,quia hæc vera dos viri non patitur corpus tabeſcere aliquo defectu, propterea cum populum amicum illuſtris ſpectat, alterum ſe intueri videtur,quoniam amica vnio gentis ſedile firmum eſt viri;dictu æquidem magis, quàm viſu mirabile, vt gratia concors efficere valuit, quod natura nun-

quam

quam ex concordia elementorum compoſuit. Venerandus ergo illuſtris, & talis inter mortales diuinis etiam honoribus colendus, præſertim dum illum non ſpernit amicum, qui obſuta in veſte mores, vt vir bonus compoſuit, itaque hunc virum & abſentem, & præſentem gratia amicorum ſemper laudat, quia virum illuſtrem, tum etiam populus affirmat viuere, cũ oſſa eius in opaco telluris antro iacent recondita. Demum omnia, quæ cœleſti potius, quàm terreſtri ingenio principes aſſequitur vir cognoſcere deſiderat illuſtris, quoniam natura talis eſt, vt officia bonorum vbique ſciſcitetur; propterea nunc aperiemus quę viro digna ex Philoſophorũ ſcriptis hauſerimus, quia his adeptis, & ſibi, & cœtui vir gratior efficitur; igitur conſtat, huic formæ hominum, cuius habitum mentes mortalium per figuras diffiniunt naturam rudem animum infudiſſe; videmus enim ab infantia ad iuuentutem vſque, ingenium omnium mortalium adeo inuolutum eſſe, vt panno quodam prætextum videatur, poſtmodum ſub diſciplina proborum quaſi ſolubili nodo aliquantulum demollitum, quæque laude digna inſpexit, ad quæ & virum illuſtrem pronum eſſe oportet, quoniam ſic & patriæ carus, & cuiuis principi ſit cariſſimus, ſæpe ergo vir refert illuſtris, quod diuinus Plato protulit, In omnibus bona ſimilitudo eſt amica naturæ; recitat etiam Theopraſti illud, quanti eſt ſine anima corpus, tanti eſt ſine amicis homo; Ideo quilibet illuſtris

animo dicta ſeruare debet, quia adulationem reci-
pere, & adulari deteſtabile eſt; verum amicitiam ſer
uare, & inuicem ſe amare quàmuenerabile eſt; Idē
quoque a quodam interrogatus quid eſſet amicus,
tum ille, vna anima, inquit, in duobus corporibus co-
habitans; Rectiſſime igitur dicet illuſtris, quòd ve-
rus amor amantem in amatum tranſfert, quod & ſa
piens teſtatur; Veh ſoli quoniam ſi ceciderit, non
habet ſubleuantem; ſubleuat autem vir diues ami-
cum pauperem in neceſſarijs ſuccurrēdo, & pauper
virum diuitem protegendo, iuuenis ſenem fouendo,
& conſolando, ſenex vero iuuenem a via mala reuo
cando. Fert etiam & Ariſtophanes, amicorum hanc
eſſe qualitatem, vt vnus vellet eſſe alter, vel in alte-
ro. Et diuus Ioannes inquit, Qui manet in caritate
in Deo manet, & Deus in eo. Hoc idem & Auguſti
nus, Sine ſimulatione velle eſſe comprobat, adulan-
tium linguæ ligant homines in peccatis. Sed vir illu-
ſtris in amore, & quaque gratia, quoniam & lau-
dem, & honorem adipiſci conſtituit. Recte etiam
vir illuſtris, Thales Mileſij mādata ſeruat, cum ami
corum præſentium, & abſentium memor eſſe propo
ſuerit. Præterea laudandus eſt vir, quando omni in
opere ſentit, quod Diogenes olim ſentiebat, Ami-
cum, manus ad amicos non complicatis digitis exten
di oportere. Propterea ſi hac tempeſtate illuſtres
hoc facerent, perpetuam in ſeruitutem, nos pro ſin
gulis ciuibus illis aſtringeremus; Quid enim melius

ciuibus,& populo principe bono,præſertim ſi cun-
ctis naturæ rebus ſuccumbentibus concordiam ciui-
um æſtimauerit præſtantiorem,quod M. T. his ver
bis diſſerit,omnium ſocietatum nulla prçſtantior,nul
la firmior,quàm cum viri boni moribus ſimiles ſunt
familiaritate coniuncti, Idem quoque omnibus re-
bus humanis amicitia præponenda eſt, Idem ergo
velle,idemq́; nolle illuſtris viri,ac ciuium, in vtilita-
tem Reipub. ſemper eſt peroptimum; Præterea in
præceptis Quintiliani hæc me legiſſe fateor,non re
perio quid in rebus humanis excogitauerit natura
præſtantius amicitia; Ideo nullus cenſus maior eſt,
quàm qui ex concordia plurimorum naſcitur. Recte
etiam & Seneca illuſtrem docuit qualem debet vi-
rum dignum ſua familiaritate cenſere, hoc modo
teſtans. Si aliquem amicum exiſtimas cui non tãtum
vis quantum tibi,vehementer erras,Ideo illuſtris vir
tuti ſemper incumbit,quia virtus principiũ eſt, quæ
in gratiam omnium virorum ducit homines, quod
& Horatio Flacco viſum eſt,cum dixit,Tibi me vir
tus tua fecit amicum; Demum quanti hæc facienda
ſunt recenſere poteris; Nam & Valerius retulit
Max. Deſerta eſt vita hominis nullius amicitiæ cin-
cta præſidio,hoc tandem ſpeculum eſt omnium illu-
ſtrium,poſtquam Chilo Lacedemonius vult,vt prom
ptius ad amicorum aduerſos caſus, quàm ad ſecun-
dos ſucceſſus curramus.Ideo bonus princeps veram
amicorum beneuolentiam pomis recentibus, & alijs

fructibus bene olentibus ſimilem eſſe dicit, qui temporis diuturnitate non tabeſcunt, quemadmodum ergo fas eſt omnibus agricolis pendentia poma carpere, ita omnibus principibus licet omnium ciuium, atque infimorum amicitiam profiteri, quia pauper amicus quæque ardua, & magni laboris, & quoque extremam neceſſitatem pro viro illuſtri ſubire non negat; pauper enim, vt ſæpe vidimus, ad mortem vſq; dominum ſolet diligere, atque eius tam ſecundæ, quàm aduerſæ fortunæ iacula, & ſeruare, & pellere; Sed vir cum eruditis hominibus non adeo aperta, verum & recondita ſecreta retegit, ſit namque horum conſilia, quàm ſint digna eius conſortio, itaque, hoc vinculum gratiæ, nec ciues ab illuſtri, nec virum a conterraneis aliquod tempus, aut loci diſtantia vllo pacto diuellit, huiuſmodi ergo viri, & mors beata, & vita laudabilis dicetur poſt mortem; quod ſi malorum animus turbatur hoc ſermone, quoniam vir bonus ſemper malis odio eſt, dictis autem malus facile componere poterit turgidum animum, vt pelagus componit vndas, quas vehemens turbo deſeruit, vel, poſtquam nymbus procelloſus effluxit; Etenim quæ nam regio tam fructifera diuiſa in populos inter ſe diſſentientes, vt miſerrima Italia ab optimo, ac felici ſtatu ad deteriorem nō defluat? ob cauſam malorum hominum, quod, ſi vno, eidemque viro illuſtri ſuppoſita eſſet, proculdubio omnis diſcordia iā pulſa foret, nec amplius conſpiceremus barbaras no

tiones, vt videmus tam cultos agros Italiæ poſſidere, neque dominum parui etiam agelli præſſum verberibus cedere proſpiceremus, quamuis hoc malum antiquum eſt, vt Maro cecinit. En quo diſcordia ciues perduxit miſeros. Vires ergo cuius vis gratiæ ex controuerſijs, inuidijs, atque iniurijs hominum facile noſcuntur; demū & Roma ſub hoc illuſtri principe iam & læta, & ſtabilis in imperio, & in pace amabilis, & ſaluberrimis in officijs fidele refugium eſt noſtrum; merito ergo & Roma ſancta vocatur, quoniam præclarum ſemen amicitiæ cum caritate, & beneuolentia, per vniuerſum orbem ſpargit, & temulentiam barbarorum comprimit eius princeps, ideo quilibet illuſtris iam poteſt cognoſcere quid boni poſſidet amicitia; Inquit enim Empedocles, Omnia quæ in hoc orbe natura condidit ſtatum, & motum etiam ad beneuolentiam cōferunt, propterea miſeranda Heſperia tot erumnas non pateretur, ſi quibuſdam malis hominibus concors beneuolentia nota eſſet; Veh igitur populo vbique, mali ſub ditione viri, non enim miſerrimas clades, aut ineffabiles calamitates, noſtris, vt omittamus quæ fuerunt præteritis temporibus, meminiſſet quiſpiam, dum omnes viri præceptum domini ſeruarent; Diligite proximos, inquit, ſicut vos met ipſos; Sed quoniam contrarium conſpicimus, non eſt mirandū ſi quælibet pars terræ furit, malorum propter diſcrimen hominum; ideo omnis illuſtris dum bonus eſſe vult, non minus

pauperis, quàm diuitis bona protegit; Siqudi ergo merito laudare debemus, & magnis honoribus affi- cere, Deus, vel ipſa natura hoc viro datetur conſti- tuit illuſtri; Nihil enim hactenus repertum eſt, quod ſocietates hominum perpetuo ſeruaret, vt probitas viri illuſtris, itaq; cũ quis ornatus fuerit moribus di- cti viri; In oĩbus cœtubus, & humanis congregatio nibus, nil accommodatius, nec magis competens eo reperitur; Omnium demum illuſtrium virtus, vt mira bilis, ita & ſumma dicitur, & quædam probitas eo rum gratiæ paſſim cito apparet; Omnis tandem ra tio, quæ humano generi propria eſt, intellectus, itidẽ laus, conſilium, & ipſa rerum præſtantia, bonarum artium, & liberalium diſciplinarum gloria, ac etiã quarumcunque rerum humanarum ſplendor, & lux certiſſima, in viro illuſtri ſemper conſpicitur. His itaque remotis non eſt viuendum; quanto igitur quis locupletior, & in maiori conſtitutus fuerit dignita te, tanto magis gratia bonorum indiget, quoniam tam in proſperis, quàm in aduerſis fortunæ caſibus nullum amico fideli refugium eſt tutius, quod multi ex illuſtribus experti ſunt, quorum nunc tellus bar- bara fatale ſolum eſt, & hoc malorum propter co- piam morum, quorundam nequiſſimorum; quid er- go vtilius, quidue magis neceſſarium ſit viro gra- tia bonorum, non reperio; hæc enim ſemper magna & præclara ſuffragia, vt proſit, conferre ſolet. Hæc demum tantam vtilitatem præbere poteſt, vt

nuſquam maior, aut vberior, vel ſalubrior eſſe poſſit, quoniam hæc pacem fouet, bella longe pellit, & vitam viri ſemper tuetur, quia cunctis ciuibus, & reipub. dignitatem affert, & ſeruat; Itaque arbitramur iam non eſſe opus ferre exempla arctiſſimorũ amicorum, nec Horeſtem Pyladem velle eſſe, nec Pyladem Horeſtem, quia mandata magni Dei, & iuſti viri, celata in corde gerunt; Inquit enim Chriſtus, Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, maiorem hac dilectionem nemo habet, niſi, vt animam quis ponat pro amicis. Vir tandem illuſtris maiora facit ob amorem amici, quàm Achilles fecit ob cauſam Patroclis in Hectorem. Licet ergo viro, omnes homines hortari ad amorem fratrum, qui mutua beneuolentia in medio ſyderum alterna luce fulgent; nunquam igitur bonorum eſt renuenda gratia; Et quoniam homo homini Deus, ideo & laudis, & honoris eſt homini, mortalem iuuare, quod & Senecam ſcribendo ad Lucillum ſeruaſſe legitur; Magna, inquit, ſeculi laus, ſi homo manſuetus hominem adiuuet. Extremis ergo cum hæc digitis tetigerimus, præcamur, vt non faſtidiãt te priuſquam perlegeris, ſi carus omnibus eſſe cupis eruditis; Scias autem, quòd plurima etiam honeſtiſſima de viro ſcribere potuiſſemus, tamen timuimus ne longiori ſermone defeſſus, vt immenſo ponderi ſuccumberes; Propterea duo dictis adijcientes finem faciemus, frequenter cogitantes eſſe viri illu

ſtris, inuenimus, quòd iniqui homines dixerunt, populi beneuolentiam, propter neceſſitatem, vel inopiam, vel ægeſtatem, vel bona, & quoque vires amiſſas deſiderandam, qui quantum decipiumtur, vir bonus intelligit, quoniam hæc moribus viri non inſeruntur, quia raro bonus princeps, qui fuerit mendicus, Etſi etiam aduerſo caſu in pauperiem inciderit, amicum torquere non debet; hoc enim dum vir officio vteretur, peſſimus hoſtium diceretur; Ergo non eſt dicendum cum in aduerſis fueris, Amice præſidij cauſa in familiaritatem elegi te, ſtude igitur quomodo mihi ſuccurras, quia is ſæui epidimia grauior eſſet, Omnis enim homo in quo vis ſtatu fortunę fuerit, per ſe tantum proprij laboris ſuſcipiat, quantum neceſſarijs rebus poſſit ſuccurrere, quoniam beneuolentia imperfecta eſt, quæ ſubſidij gratia copulata fuerit, perfecta autem & viri in populum, & populi in virum gratia erit, cum ditior potius in dandis ægeno, quàm in accipiendis paratus erit, namque perfecta beneuolentia optime domus tribunitiæ comparatur, cuius ianua nullo tempore de more claudebatur, quia ſemper miſeris, vt portus patens nauibus erat, itaq; hoc modo omnis præſtolatio, & dulce refugium bonorum inuicem ſe offerat, atq; pauperi ſuccurrat, & oblata, ni pluſquam indiget, non recipiat, Cuncta vero onera, & omnes labores vndique flagitet amicorum, quibus dum poſſit recte prouideat, quoniam aliter, vt viro iniquo ab

amicis

*amicis mitteretur epiſtola Miſonis,qui ad Chilonem multa bruma rigente ſcripſit;quiſquis ergo ſatis ſibi confidit,præcipue cum virtute, & ſapientia, & plurima in ſe bona eſſe poſita exiſtimat, in colendis optimis hominibus facile pleroſque excellet;Cupit enim populum naturalis conſortij cauſa, ſibi amicum eſſe, vt poſſit aperire, quæ veris amicis fideli animo committere ſolemus;Omnis igitur illuſtris in quo vis ſtatu fuerit,nitatur omnium hominum gratiam ſeruare, quoniam ſic magni Dei præceptum imitabitur,cuius omnia cuſtodienda ſunt, namque ille hoc mandato nobis aperuit quid facturi ſumus, Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius, vos autem dixi amicos,quia omnia quæ audiui a patre meo nota feci vobis;Hanc itaque præcipuam hortamur illuſtriſſime vir venerare gratiam, præcipue ſi virtus contrahit illam, hanc etiam rogamus omni doctrina,ac ſtudio, & omnibus tui corporis viribus amplectare,quoniam ſi fueris cinctus eius fortiſſimo robore, facile deſideriũ conſequi poteris,Et dum nomen veri illuſtris per ſecula ſeruare volueris omnes diſciplinas ingenuas,& ſtudia bonarum artium pro viribus amabis,atque in his voti compos, & amicis, & dulci patriæ letitiæ,auxilio,& honori eſſe poteris.*

MICHAELIS. ANGELI

Blondi Sermo de viro iniquo.

P ARVVM initium, ſed res proculdubio non parua, vidimus; namque plurimos homines, plurimorum præcipue virorum arctiſſimas profiteri familiaritates; ideo horum miſerendũ eſt, quoniam grauiter decipiũtur, quia prope nomen habent; quis etenim hodie tam felix eſt, vt virum fidelem inuenerit? arbitramur neminem eſſe, dolendum igitur eſt, quoniam hac tempeſtate eius generis viros, cuius & eruditi quærũt, & miſerorum neceſſitudo expoſtulat, Et quoq; tempus hoc exigit, pauciſſimos inuenimus; nam vbique locorum modo copia iniquorum ſcaturit; hiq; ſunt homines elati animi, qui penitus ſpernunt proborum familiaritates. Res autem noſtra non tales, verũ pares, aut duros, & agreſtes homines, & quibus noſtri labores non ſunt graues, nec curæ ſordidæ etiã poſtulat. Multum ergo tempeſtas hæc differt a præteritis temporibus, quoniam olim quoduis ſcelus cunctis odio erat, nunc vero plerique quodq; nefandũ opus magis diligunt, quàm fame compulſi Cererem. Tamen viri priſci rei diuinæ operam maxime dabant, nil mali cogitantes. Et quoque nonnulli in re ruſtica operi non parcebant, poſtquam inſtituta ſacra coluiſſent, quod ſacrorum intermiſſi ritus, &

defectus quorundam fructuum teſtatur, & diruta villa, & ager prope villam, nunc etiam pluribus in locis omnibus exemplo eſt; poſtquam autem hoc meum, illudq; tuum ortum fuit, quodque & ſcelus exortum eſt, quod ne dum Neronis temporibus centenas in formas diuidebatur; Verum etiã innumerabiles perſonotas in ſpecies modo diuiditur. Itaque, tum homuntioli tantum iniqui, nunc vero & magni viri minus, quàm probi reperiuntur. Æquidem arbitrabamur, cum elementa cognoſcere cœpimus, quibus ipſa virtus nota erat, quovis ſcelere carere; quin imo tales, comperimus, poſteris in nefandis exemplar eſſe, quod omnium nationum boni hac tempeſtate valde mirantur. Tamen iſdem etiam non eſt deſperandum penitus, quia ſubaudiumus quoſdam probos in terris eſſe, qui famam honeſtam reuocare nituntur, quæ territa quorundam ſcelere, adhuc colit montium cacumina. quamobrem, etſi deſcenſus ſit facilis, tamen, quia in excelſis pulcherrima eſt habitatio, non redituram timemus, præcipue ſi proſpexerit copiam ſcelerum quorundam iniquorum; Propterea ſiquis ex iniquis aſcendere tentaret, proculdubio e collibus fama ad ſydera celerrime fugeret, quanti igitur ſcelus eſt quorundam, ex hoc comprehenditur; Nouit enim fama honeſti mores, quàm ſint cariſſimi familiares iniquis. Ex his ergo cognoſcimus an ſint iniqui bonorum acerrimi hoſtes, ſed dicendis aduertas oro. Cum quis ex dictis amiſerit,

quibus fruebatur, Tum honeſtæ famæ cupit eſſe ca riſſimus, tanquam famam ille, atque illum fama non regeret. Itaque iniqui viri hoc primum mirabile eſt, propterea talem cœcum confiteri cogimur, quia errat hebes ingenio. Nam fato quodam proſcriptus ad errores, inſtar dementis ſydera tantum ſuſpicit, quoniã iter melioris vitæ diſcernere non poteſt; huius ergo pectus quodque ſcelus obripuit, æſtimamus; nimirum igitur ſi plurimi dicto ſimillimi de fama conſequuntur infamiam, talem putamus, qualem his quoq; tẽpibus, & Hircanæ Tygres horrent, ſed iam ne videar ſermone oberrare, quamuis hoc ſit noſtrum inuitum onus, quod bonorum propter amorem ſubire cogimur, ne grauius in diſcrimen incidant, quàm ceciderint; Iniquorum etenim virorum in ædibus latet ſerpens maior illo de quo Strab. Et macra campus in quo Poſſidonius ſcribit viſum fuiſſe ſerpentem mortuum iugeri magnitudine craſſitudine tanta, vt equites ex vtraque parte aſtantes ſe inuicem intueri non poſſent, hiatu autem tanto, vt hominem equo inſidentem reciperet; Poſtquam ergo nemo ex noſtratibus famam inter iniquos conſpiceret, quidam e proceribus, qui minus famę obnoxius fuerat, ſedem eius ſciſcitari cœpit, quia deſiderabat receſſus cauſam cognoſcere, demum is poſt longum errorem in quodã equore lato conſtitit ignarus proculdubio quo iam diuerteret. Tandem oculos æthera verſus erigens fundo leui murmure rogauit

ſuperos, vt iam poſt tot errores locum monſtrarent illi, quem fama honeſtiſſima colit. Tum Deus omnipotens motus pietate rupem montis obiecit, In cuius celſitudinem ſpiritu quodam dicto citius ductus eſt, quamuis ardua eſſet moles. Tandem ibi venit obuiam fama candida, nec comptis crinibus, nec capite ornato de more venuſtarum, ſed habens tortam comam, & veſte amicta, quali mater ob mortem chariſſimi nati prætegi ſolet, quando ille, etſi paululum obſtupeſceret, quæ nā eſſet interrogauit, Fama ſum, inquit, cuius mores hac tempeſtate moleſti ſunt hominibus; at ille, te ipſam quærebam, namque dum infans eram, tuum nomen aureum percepi, tamen hactenus te videre non potui, ideo ſtatueram extremū diem attingere errando ſi te reperire non potuiſſem; propterea nunc immortales gratias refero ſuperis, qui meos huc laſſos pedes direxerint. Cum fama, quid ergo? Vel ego, vel mea ars tibi efficere poteſt. Tum ille, dum vagitu ſtrata replebam, nil pulchrius te eſſe audiebam, demum tuo ductus decore, priuſquam adoleuerim, deſideraui, qualis fores cognoſcere. En vides, ait, quæ mortem ſuperare conſueueram, qualis ſim, quia mors modo me vincere conatur, poſtquam infamia hoſtis vniuerſum orbem regere cœpit. At ille infamia ergo cauſa tui receſſus; Sed illa nequaquam, niſi qui ſequuntur infamiam. qui ſunt igitur flagitabat, & quomodo ſequuntur hanc deſiderabat, enuclearet; quando fa-

ma, profectò hoc mihi permoleſtum eſt, quoniam modo, maxima pars virorum, quibus obnoxia eſſe nollem, vocant mores ea ſcelera, quæ penitus damnant hominem, vel, quæ vitam per oppoſitum beant virorum, Tamen poſtquam te video erga me motum pietate, omnem hoſtem quem licebit meminiſſe, referre conabor, quod cum audiueris miraberis æquidem, quomodo his ſæuiſſimis temporibus mea veſtigia alicubi appareant. Poſtquam ergo iniqui viri dominari cœperunt, facti ſunt nonnulli & Procuſte, & Nerone ſæuiores, quamuis non tam populos neſciunt regere, verum nec ſe ipſos ſciunt corrigere, & hoc propter furorem bilis; Omnis enim iniquus cæteris ſuccis modo præpoſuit bilem, e qua naſcitur iracundia, bilioſam enim dicit præſtantiorem hominis tēperaturā, itaq; rapaciū ferarū imitatur feritatē, qui ad imperia, & honores nititur dum iniquus eſt; facit enim hoc, vt in illis omni vitio, ac ſcelere commode frueretur. Ideo nomen iniqui dicendum eſt præſtantiſſimum, quāobrem tu quoque eiſdem dum incumbere volueris iniquorum ædes coles, quoniam ibi non deeſt indigna deprecatio, namque cupiunt & homuntioli iniqui ſub hoc cœlo videri inexorabiles, quorum aliqui quanto maioribus præſunt officijs, tanto magis præcepta ſcelerum ſeruare nititur. Ni ergo timerem illud verbum venerabile; Nolite tangere, quos ego conſtitui viros. Audacius, & instar præconis exponerem ſcelus, quod illi dicunt eſ-

ſe optimum officium viri. Tamen ego non tangam illos, ſed facinoroſum viuendi modum iniquorum. Et hoc quoque curſim faciam. Sunt igitur, inquit, fa ma iniqui non minus ſæuiſſimo crudeles. Eſt etiam eorum ſecta maior, quàm fuit olim, quorum vis Phi loſophorum, nam quis ex iniquis, vel ſceptrum non cupit, ſiue exercituum præfectus, aut cuſtos arcis eſ ſe non deſiderat, quia omnibus iniquis ſemper eſt de ſiderium inſatiabile; magni enim eſt, dicit iniquus, cum quis voti compos efficitur, nam pauci boni aſcen dunt, remota gratia dicti, præcipue compotis in ma gnis rebus, igitur blandiendum eſt iniquis; dicit etiã iniquus, præcipuum in terris illud cum quis virum cer tat vincere muneribus; viri namque dici volunt ini- qui. Sic ego etiam fateor, quis enim ex mortalibus donis non vincitur? Poſtquam mortalium pariter & immortalium egregia dona placant, ac molliunt ani mos; nam omnes nunc etiam dicunt, niſi qui munus obtulerit ſuperis ſaluus erit. Alioquin cardo erugi- ne plenus retorqueri non poterit, quo greſſus opta- tam in requie facilis fiat. En ergo profuga quo mo do inter iniquos viuere poſſum, præcipue ſi neque homuntio diris præceptis iniquorum contradicere audet, quinimo ea ſeruare cogitur, quoniam dum poſſidet, & non ſeruat dicta, magnum reddit auri pondus, namque is contra iniquos iuraſſe videbitur, quod cum notũ & tibi ſit, times, ne virtute ſceptri iniquorum hominum non adeo e templo, verum &

a conſortio pellaris etiam virorum, donec cõmiſſum crimen immenſo pondere auri non redemeris; Diſcite ergo populi quomodo pecunia cauſa quietis eſt, quia nemo aliter optatum locum attingere poterit; Licet ergo ſolis diuitibus lætari; Pecunioſus etenim & ſyderibus, & iniquis notiſſimus eſt, vt infamis. Quid igitur tam flagitioſum poterit eſſe, quòd pecunia non admittat. Tritum ergo verbum illud notum eſt; Quoniam omnia propter pecuniam falſa, cum & ipſa pecunia falſa eſt. Poſtquam autem vniuerſus orbis ſub regimine iniquorum dicto modo redemptus fuerat, credebam hoc dictorum maximum nefas eſſe. Tamen neque propter hoc defecit animus famæ, quamuis ſpiritus admodum defecerant. Itaque reuocatis ſpiritibus, & bilioſior facta ad aliud genus torquendi confeſtim vertit ſermonem, qui cuncta, penitus, præmiſſa ſuperat; quando iniquus conſpicit muros domus grauem caſum minantes, propediẽ ex domeſticis iubet ſagacibus vt ſuffragia poſcant, & a miſerrimis nationibus, quibus & reſiduum arcis euertere poſſint; Itaque hac tempeſtate in ſuo, atque alterius ære collecto probatiſſimi mores conſpiciuntur hominũ. Numiſmatis ergo congeries non tam locum tela, & ſigna tenentem euertit, quàm etiam & corpus hominis necat. Quid igitur dicendum ſit humanis de ſpiritibus alijs & præſtantioribus recenſendum omitto. Tamen Craſſum arbitror meminiſſi, cui Parthi dixerunt

runt poſt corpus diuiſum. En aurum tibi, quod ſitiſti, quamuis hoc idem præter me pleraque & dirupta mœnia Auſoniæ perhibent; quando ille factus admodum vecors, inquit, quàm mirabile hoc eſt: tamen quomodo hoc fieri potuit? rogauit, quum fama, cenſebam hoc tibi notiſſimum eſſe; Verum poſtquam ignoras, aperiam, vt potero; plurimi ſunt & minus egregij, etiã qui otioſe ſuperbis in ædibus viuunt, quibus non adeo lautiſſima conuiuia parantur, verum & paraſitorum copia, & aſſentatorum maximus numerus colligitur, his enim temporibus aſſentatio eſt ars præſtantiſſima, his itaque remotis non eſt delectabile obſonium; quoniam ſi fieret aliter, omnes viri iniqui commenſalem recuſarent. Itaque dictis apparatibus non obolus, ſed numeroſa pecunia requiritur; Heus ergo popule meus eſto boni animi, namque dirupta mœnia conſtruuntur, poſtquam epulis congeſtum reconditur æs tuum; Ni autem referre vis, quod Prouerb. xxi. ſcriptum eſt. Qui diligit epulas in ægeſtate erit. Sin autem quando dum quiſpiam diceret, forſan poſt conſumptas epulas, minime reſponderem, niſi poſtquam defuerit milleſimus modus torquendi genus humanum, quod noſtra tempeſtate non deerit, quia mores virorum modo penitus proni ſunt in obliquum, propterea hoc mirabile fac animo recondas. Conſtat tibi, cenſeo, quòd pecus potu pingueſcit, ideo ſal aptiſſimus illi multum, vt potus haurire poſſit; haud aliter no

ſtri etiam viri populis bibendi deſiderium excita-
rent, ni acre, vel acutum, quod alienum erat illis obij-
cerent, quod diripiendo multiformiter in dies fit ac-
curatius; profecto peregregium hoc eſt officium vi
rorum. Nam congeſtum æs priuatum facit hominem
ſuorum antiquorun immemorem, velut in ære ſum-
mi boni vera ſpes eſſet; Ergo non eſt mirãdum dum
Siculo viro deſiderium fruendæ gregis excitaba-
tur. Ad quid enim pecori vellus cum creuerit? Recte
igitur tondebat illud, quoniam timebat ne ſpinis, &
cardone lana diſtraheretur, proculdubio ſanctiſſi-
me mores compoſuit ille, qui pondus auri tenentem
prætexit; Sed quo vellere dices? Candido, & gra-
uiori, quàm Siculus ciclops torquere poterat; Infelix
ergo pingue pecus, malo ſub regimine virorum.
Optimi autem paſtoris mos eſt, non tam craſſiori-
bus lanam depilare ouibus, quàm etiam omnibus &
inedia laborantibus diripere pellem. Inquit enim, pa
ſtor bonus macrum pecus non inedia, ſed & maraſ
mone perire ſolet, tum demum & pellis cum ouibus
perditur. Ad quid ergo perditio hæc? tum ſi lanij in
ſurgunt mandato paſtoris, & tergora diripiunt, &
coſtas nudant, optime faciunt, dices. At ego ineptiſ
ſime, quòd autem modo paſſim vagantur huiuſmo-
di paſtores tecum ipſe videbis, & hunc nouum tor-
quendi modum etiam conſiderabis; Nam inuenies,
vt condimenta hominibus vafer homo ſaporoſius
remoto ſale hac tempeſtate conficit. Salis enim mul-

tum poſſidet, qui dapes multis parare ſtudet, vt is, qui aliorum miſerabili fruge lautiſſima conuiuia ſibi parauit. Quid iam ergo humano miſerando de genere, dicã? Maronis illud, Infelix pecus, nam alienus cuſtos bis mulget in hora; Sic etenim. Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis. quod ſi horum temporum viri veri eſſent, proceres de collibus in æquor latiſſimum, & de ſpinetis gregem in prata virentia ducerent, & morbidum pecus, quod totum ouile corrumpit ſaluberrimo a grege ſepararent, ſed quoniam natura mala dotauit illos proprietate, propterea malũ & effectum oportet, apparere illorum. Igitur, quorum animus fuerit pronus in obliquum, eorum & mores pẽſſimi neceſſe eſt, conſpiciantur; Itaque dices hoc de proprietatibus iniquorum non infimum eſſe, quando ille præ timore famæ vix reſipiſcens, profecto pulchra narraſti ait, tum fama, ſed apud me iacent adhuc pulchriora. Ideo ni me extremum fati iudicium vrgeret, plurima iucũdiora enuclearem, quàm hactenus expoſuerim, tamen ne penitus ignarus a me recedas aperiam, quæ obiter modo mihi ſuccurrunt; Iniqui ſunt homines, qui aliena ſibi vendicant, verum multi his temporibus plurima ſibi vendicauerunt, ergo, peſſimi ſunt etiam, qui munera pretio venundant, a ſuperis vtique mortalibus ſine pretio data; aut forſan dices, Vnus fuit talis olim; Veh autem mihi miſerrime, quia modo reperiuntur quouis in ſcelere, dicto præſtantiores, ty-

rannidem etiam exercet, qui haud aliter, quàm lupus oues laniat populum, affirmans ſolum Siculum talem fuiſſe. Verum enimuero ſæuiores Dionyſio modo cognoſco, qui & laniant, & cruciant homines, taceo; Ergo, propterea ex dictis comprehendere poteris, quales ſunt populi erga viros iniquos, præcipue ſi propria commoda miſeris etiam detrahunt, eaque alieno paraſito, vel proprio tradunt, dum ab ore veniat eius nouum populi miſerabile aucupium; hij etenim & retia parant, non vt Philomenæ, neque vt Pſitaco inſidietur, verum vt extrahatur inuoluto homini retibus; Siquid ſanguinis erit, nunc autem omnes homines exangues conſpicio. In quo ergo homine fiet hoc? non inuenio, ni tamen contuſis oſſibus dictorum quiſpiam mollem medullam ſorbere deſiderat; hoc demum fieri poterit, veh autem illis, quia miſerrimi iudicium ſibi parant; Nunc vero ad illos deſcendam, qui veſtrorum virorum hoſtia ſeruant, qui tandem cuiuſdã retinaculi ſortiti ſunt nomen, quod non ab effectu, ſed ab affectu ſortiuntur, quia officium illorum eſt iſdem rebus frui, quibus & ſæuiores fruuntur, quorum gradus acceſſum ingredienti offerunt, quem non adeo ignauiſſimi hominum, quàm etiam & dira animalia horrent, enimuero per quam mirabile eſt, tales præpoſuiſſe foribus, quibus cum quid offertur, proijcitur vt ſemen in arenam. En igitur vides quouſque decurro, nec miraris quoniam tibi non ſuccurrit. vi. Geneſis illud. Finis vni-

uerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, & ego diſperdam eos; dicit dominus. quod vtinam non conſpiceremus, vt cernimus, quia deſolatam videmus vrbem, dirupta ſunt & mœnia cuiuſque caſtri, poſtquam miles barbarus non tam fruges, quàm etiam Pœnus Annibal & turres Heſperiæ tenet, hoc autem fit, quia omnes viri & vſque ad vnum errauerunt, quod ſi me famam coluiſſent honeſtam, de ſalute eorum non eſſet deſperandum; At quoniam dolus omnes rodit interius timendum eſt ne Italia aliud nomen ſortiatur. Namque remota pudicitia nil, niſi effreni appetitus ſunt expectandi, ex quibus extrema naſcitur calamitas. Veh igitur populis, quoniam propter errorem quorundam iniquorum Itali omnium fiunt præda barbarorum. quis enim ex iniquis non cupit Neroni ſimilis eſſe, vt in rebus deſideria ſatisfaciat. Itaque delitijs, & laſciuis voluptatibus, iniqui homines tantummodo ſtudent, nam conſtituerunt, ſic prudentis nomen aſſequi, de prudentia quorum ſi me rogitas aduerte. Dicti interrogati referunt prudentiſſime quid prodeſt prudentia, vel ſapientia nobis, ſi tempus vitæ Neſtoris prius labitur, quàm adipiſcatur. quod audiens, inquam, ſcriptũ eſt. iij. Prouerb. quòd pretioſior eſt cunctis opibus ſapientia, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Nunc igitur quiſquis es, audies; Dictorum & mores peſſimos, & iniquiſſimam probitatem; Hæc ergo clarius

eſſeram,quia fama libere fari poteſt; optarem autem tibi ſuadeas,me quicquam dixiſſe,neque dicturam de hominibus,qui,vt Plato,aut Scipio, vel Ariſtoteles erant,quoniam hi,& lauream, & quernam coronam meruerunt,quia non ſolum nomine,ſed & opera viri erant;Illi vero, qui hac tempeſtate vocantur viri, & tale qui cupiunt nomen apud poſteros, homuntioli mihi videntur, qui aridę telluri tantum præſunt.Tales ergo quibus moribus nouerim ornatos referre conſtitui,vt tu quoque,qui vir mihi videris,& improbitatem virorũ cognoſcas, & te ipſum in melius dirigas,nam confeſtim conijcies;dictorum mores an ſint ſpectabiles,an alijs ornari oporteret, demum abiectis ſordidis,liberalia tantum ſuſcipiemus,nec more fœneratorum quicquam mentiemur, neque obſcenis miſcemus turpia.Tandem nouiſti naturam ſolum hominem ad virtutem compoſuiſſe, quoniam ex virtute bonorum morum copia profluit, præterea natura eundem hominem duabus figuris induit,quarum altera ratio eſt,cui mores, altera vero præſtantia dicitur,cui rectiſſime data fuit probitas,quibus in hoc ſeculo omnia antecellit homo, his etiam quicquid decorum,vel honeſtum fuerit,ad ſe contrahit, his itidem & diuina capeſcit, alia vero animalia & iugum,& quoduis laboris genus ſubeunt, & ſoli homini parent, quod mores hominis cum probitate faciunt, quæ ſi credis ineſſe viris omnibus de quibus loquor vehementiſſime deliras

poſthac ergo ordiar ea, quæ non tam ortus, verum & quem matris viſcera in medio vteri obducunt, veriſſima fatebitur. Itaque omnis iniquus, & priſcos homines, & venturos nepotes illis moribus præſtat, qui in ſeptimo gradu caſtrametati ſunt, quibus dum cupis circundari, Et dicti optas probitatem conſequi, dicendis aduerte, quia mores primum referam, deinde ad egregiam probitatem eius me tranſferam, quamuis vereor ne te verbis obtundam, priuſquam aſcendero ſeptimum gradum, præcipue ſi plurima de iniquo dicenda ſunt viro. Tamen vtcunque euenerit tuum ob amorem huic procellæ me committam; Omnis vir ſeuerus modo cupit videri, & Catonis grauitatem iniquus imitatur inceſſu tantum, verum aliter omnium penitus ignarus eſt virtutum; dicit enim virtutem pauperibus, & vili veſte amictis propriam eſſe, & hoc quia præſtantiſſimam probitatem hominis arbitratur, dum quemque ſæuiſſimum quouis ſcelere ſuperat. Et Siculo tyranno ſi corpore non poteſt, iniquus ſaltem famulatur opera, demum hac laudabili in re priorem gradum deſiderat, præterea nec ſimilem, neque parem patitur. Omnes vero homines iniquus proprios ſeruos eſſe optat, ſua etenim tantum curat commoda, & magnorum etiam principum & rixas, & ſacra fœdera paruifacit, quoniam & rationis expers eſt, & ſancitæ legis, cumque ius ipſum negl exerit iniquus quod rectum vnicuique ſeruat, ait, morum alterum

*eſſe gradum. Sin autem parem illis hominem fortuna quo vis modo flexerit, vir plurimum fatis iniquis eius lætatur; dumque pererrat vrbem occurrentibus pleno ore referre nititur. Seditio orta in populo ſecuit quendam, quia clariſſimum nomen tyranni deſiderabat, ignarus futuri euentus; hoc enim ſermone genus miſerrimum ſuammet ad mortem hortatur, namque iamdiu conſequutus eſt nomen tyranni, & ſic admirabilem tertium gradum grauiſſimi diſcriminis aſcendit; Præterea iniquus vir quælibet beneficia exprobrare miſeris conſueuit, non ſubmiſſa voce, aut leui murmure, verum inſtar præconis, qui grandia facta in medio fori cantat, quoniam ſic quartum poſſidet ordinem; Demum audens in malis rebus, nec cruento furori, neque cui vis cedit iracundiæ, quia talis in quinta ſede videri vult. Impetuoſus etiam, non vt homo, ſed vt animal ſæuiſſimum iniquus vir conſpicitur, & hoc bilis propter furorem, aconitum cuius ſuperat venenum ſerpentis. Tum ille; Heus fama de reliquis nefandis iniqui, quid maius dices. Cum fama; Proculdubio magna; dum enim alloquitur hominem trifauci minatur ore, ideo ſi quæris vbi lupi toruus aſpectus in cubiculo apud iniquum eſt, Talisq́; vir in ſexto gradu ſperat requieſcere. Septimus autem dictis ſpatioſior valde eſt, quoniam viri ſedile eſt clarũ, namq; ibi in continua intemperie viret petulantia iniqui, atque eius lingua ambitioſa, & vorax, quia morſus canis*

*non*

non deſunt iniquo; de auaritia quid dicam, quoniam hæc viri dos eſt præcipua de duplici eius ſermone quicquam non eſt dicendum, nam & bilingues Aphros ſuperare nititur; quando etiam ille quid iam fama grauius de iniquo ferre poterit viro. quid; retulit fama. Hæc vtique, inquit, non eſt milleſima morum iniqui, quia ſimiles, & grauiores vndique ſcaturiunt longe vberiores arena, qui me adeo terrent, vt necubi in terris præ ſcelere iniqui affirmare me poſſum, Tamen ne tibi adeo, vt mihi moleſta ſim, vt procelloſo in mare poſthac ſimilis nautæ videbor, qui euomit ea tantum, quæ miſerum cum naui mergunt; Quare ſi tecum ipſe ſcrutaberis mores iniqui, ſemper fuiſſe plenos errore inuenies, quia vir iniquus & populi damnis, & miſerorum erumnis ſtudet, quoniam ſtolidus omnibus vitijs circumuehitur, quorum temeritas præfectus eſt, cuius veſtigia breuis conſideratio ſequitur, cuius dum ſpectas ad famulos peregregios conſpicies homines; odium enim, & crudum facinus iniquus elegit, nec tamen nobis aliter, quàm viro de illis ſentiendum eſt nam periculum capitis incurrimus, dum aliquid contra tentamus, ideo ſi deſidiam quæris in medio aulæ viri reperies illam, vbi verboſus ſæpe iniquus fit præcipue dum ſermone allicit homines, Et cum in quibuſdam deſiderium expleuerit, cunctis iniurius fit. Ad quid autem his moror in minimis, quia ſequitur militia quędam in qua inimicitia ſuſpicatio cum in-

dutijs, dicti, potiori parti fauent, quia incerta pax ſemper iniqui cit bellum, cuius diſcordia ciuium teſtis, quàm ſæpiſſime miſerrimi accolæ Heſperiæ viderunt propter effrenam laſciuiam iniqui, atq; eius prauarum æmulationum ſuperfluitatem; Quod ſi etiam quæris vbi litigia, vbi noxæ, vbi inuidię, vbi detractiones, vbi ſimulationes, vel diſſimulationes, vbi dulcia verba aconito plena, vbi profana, & ſordida quæque, vbi cuiuſuis generis ſpurtities eſt, apud iniquum virum reperies; Præterea ſi eius de intima familiaritate requiris, ædepol homicidas, raptores, detractores, iniquos, atque iniuſtos homines inuenies intimos familiares, quibus viri atria ſemper feruent. quod ſi me interrogas num bonis apud iniquũ vſquam locus eſt, arbitror nuſquam; nam vir iniquus mandauit ſatelitibus, bonis omnino exilium indicerent; Nunc autem licet ſciſcitari, an de prædicta familiaritate vir gloriatur, inquam gloriatur. Quid enim Minerua, aut Apollo prodeſt iniquo, ideo veh mihi famæ, poſtquam imperito viro nunquam iniuſtius quicquam inuenio, quoniam niſi quod ipſe facit, vel cupit, rectum putat, denique peregregios mores dicti iam audiuiſti; His itaque multum prodeſt hominibus hac tempeſtate viuentibus, quia plurima aperuit cupientibus, poſtquam & quæ amanda, & quæ ſpernenda patefecit, nam diſcrimine eorum ea cognoſcuntur in terris, quibus aduerſa fortunæ vbiq; nepotes citius ſubibunt. quid igitur eius de prodi-

galitate dicendum ſit, cum in ea maxima pars mo rum iniqui continetur, nempe multum, quia, vt nouer ca in priuignum, ſic & iniquus vir liberalis eſt in viduas, & egenos. In quos autem miſeriorem æſti- mas iniquum eſſer, in equos proprios, atque canes, re ctiſſime retuliſti, quia vir & effrenos equos alit, & ſine numero educit indomitos, ſed de vi fugatium canum quid dicis, miranda, optime ſtuduiſti, quia fa muli ſeruant cathenis centenos canes aſiaticos, mon ſtrantes & tergora, & genitalia nuda; Quanti er- go æſtimanda eſt prodigalitas huius, poſtquã equis & canibus pendent aurea tegmina, & nodis necten da ne ſtabulis ſcope fierent. Ideo egregie vir, dic mihi, habes huius probatiſſimos mores? habeo in- quit; Cun fama; Ego etiam quamuis grauiter feren do, quoniam vt equos aleret, & canes nutriret; Ve- rum equos, & canes, vt prætegeret, ſemper diripit, ſpoliat iniquus, & mutilat, nec ciuibus, neque conter raneis parcens; nec credas hoc me dixiſſe de quouis bono viro, bonis enim honos ſemp̃ habendus eſt, ſed ferendos iniqui mores, adeo horrebis, vt aconitum horres; namq; cum vir a populis poſcit annalia, tam placide torquet, vt vix miſerrimi parcit animæ. Ta- men cum pauper colonus ea reddere non poteſt, co- git iniquus & prædiolum, & vnicum bouem ven- dat, quod ſi hiſdem commodis caret; Verum ſi vxo rem habet, vel Tuliollam honeſtæ formæ, pro cenſu vitiandam poſtulat; hoc demum ordine frugum in-

ſperatam copiam colligit; Propterea hanc ego di- ram in vocem cogor prorumpere, Heu pudor, heu facinus nefandum, heus ſcelus deteſtabile, poſtquã vir talia rogat, qui populis omni in religione exem- plar eſſe deberet, habitus enim rerum, tam ex ſecun dis, quàm ex aduerſis aliorum perſpectus, vt omni- um periculorum virum reddit expertem, ita & va- rietas morum facit ornatum. Quod latius conſtat ex mandato Dio. Siculi, Inquit enim; Pulchrum eſt aliorum erratis in melius inſtituere vitam noſtram, & non quid alij egerint quærere, ſed quid optime actum ſit, nobis proponere ad imitandum. Hoc namque ſpectat in communem vtilitatem, hoc apri- me & in vita vtile fertur. Tu igitur non huius ſtul titiæ, ſed procerum iuſtitiæ dabis operam. quoniam legitur in Prouerbijs ſacris, quòd iuſtitia eleuat gen tem, miſeros autem facit populos peccatum. Iuſtitia firmatur ſolium; Præterea rex iuſtus eriget terram, & vir auarus deſtruet eam, ſed iniquus de quo ſer mo noſter, cum annua poſcit munera, citius a paupe- re inerti requirit, quàm ab auaro diuitæ, quod ſi pauper ille vnde ea offerat, nil poſſidet, quia caſulu- lam & viminibus contextam vix in bonis habet. Tum vir iniquus atroci vultu increpat, & torquet nonnunquam, quod ſi nil inde extorquet, ſaltem co git, profugus alienos ad agros pergat; huic ego mi- ſerrimo timeo ne inde emergat ſanus, ni confeſtim aliquo ſe proripit. Adhuc tamen ex prouerbijs habe

mus, quòd impius confundit, & confundetur, & mu
nera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iu
dicij. Sed & maiora nunc moueo leo rugiens, & vr
ſus eſuriens vir impius ſuper populum pauperis. De
diuite igitur quid ſit, ſi rogas, vt pecus diuitem
iniquus mulget, namque pondus auri vult mutuo,
quod oblatum ſi diues repoſcit, tum iniquus, vt qui
in affectus aurium incidit, monſtratur, demum priuſ
quam redat illud, componit dolum, ac diuitem obdu-
cit, quo non tam reſtituat, quod habet mutuo, ſed vt
& reliquum pondus auri eneruet. Veh igitur & di-
uiti, & auaro tali ſub ditione viri. Tutiorem ergo
dices vitam indigentis, nam præter dictum eſt, &
aliud genus pauperum, quod vitam laborioſa nutrit
opera. Itaque cum ex hoc genere homuntiolo deeſt
numiſma, quod pro cenſu iniquo offerat. Tum illum
vir omni opera defatigat, & poſt clauſum diem in-
gratus, nec offam panis offert in mercedem. O quàm
lætiſſimus eſt his modus viuendi, quoniam miſer cum
defatigatus domum reuertitur, quales dulces natos,
vel cariſſimam vxorem inueniat, dicendum eſt; In
dies, qui viuunt eius ex laboribus, propterea nec ſe-
cum deferens, neque habens domi fruſtum panis,
quo paſceret omnes, rogo efferas, quæ vita ſit eius,
Quando ille mala; Sed fama; Imo peſſima, quòd ſi
is vnum de filijs cum perra ad coquinam iniqui mit-
tit, vt illi impartiatur ſaltem de oſſibus, quæ proijci-
unt canibus, num conſequitur quidpiam. Conſequi-

*tur;nam coquus cum ſua cohorte clamitat, dominus noſter nobis impoſuit, vt nemini, vel tritiſſima daretur mica panis, donec omnes & catuli ſaturi eſſent, itaque mei domini præcepta ſeruare cogor; puer autem fortius increpans, meus, inquit, pater in opera viri diem conſumpſit, nec tamen habet vnde reficiat ſe, vxorem, ac filios ſuos; Tum coquus acrius clamitans expellit puerum; nouit enim mentem iniqui, & hoc aſtu etiam facit, vt vox aures eius domini aſcendat, & ſic fidum in ſeruitio comprehendat. Scriptum autem in prouerbijs inuenio. Qui deſpicit deprecantem ſuſtinebit penuriam. Et qui contumelioſus ex iſdem. Qui profert contumeliam inſipiens eſt. En tandem iniqui, & familiæ probatiſſimi mores; Cum ille quid vltra; Tum fama ne me compellas nimium, quia ipſa facti excellentia plurimum me monet, quando vnus ex illis, vel læno iniqui erat; porrigens quid modicum eſurienti puero ad aurem murmure leui fatur, ſororem habes, fac igitur veniat, quia dominus mercedem tui patris illi dare conſtituit. At puer omnium ignarus dum opus bonum ſperat efficere, currit ad matrem, atque illi mandata refert, quæ cum aliunde victum non ſperaret. Aliquantulum ornatiorem Tulliolam remittit, quæ ſi bona forma eſt, ad virum iniquum ducitur, qui poſt vitiatam cum mercedula remittit. Sin præter voluntatem fuerit, tum ſordidiſſimis ſeruorum ſubijcitur, demum cum micis fruſtis, & oſſibus, quæ canibus ſu-*

perauerunt, honuſtam domum remittunt. En igitur totius domus iniqui laudatiſſimi mores. Proh deum, atque hominum fidem, miror, cur tellus atra talem cum familia, vno hiatu non ſorbeat, ni Valerianum illud inferre vis. Lento gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, tarditatemque ſupplicij grauitate compenſat. Num ergo ijs abſque moribus licet viuere vitam, nequaquam, ait iniquus; Itaque plurima volutans mecum, ſi quid dignius, ſiue præſtantius excogitare poſſem dictis moribus, cumque nil dulcius, nilq́; ſuauius inuenio, vt viro iniquo ſatisfacerem, arbitror gloriam eius nunquam defici poſſe; propterea tuum propter amorem iucundiora etiam de moribus dicti, atque clarius aperiam, quoniam dicta, vt conijcio, non percepiſti, vt deberes; Demum iniquus cum hoſpitibus dulcis vix per horam eſſe poteſt, quia omnes natura tentat lædere, præcipue, quia ius ſuum vnicuique negat, commoda propria magis, quàm ſuperos veneratur, omnemque vtilitatem non pro ſalutę familiarium ait partam eſſe, ſed vt commoda ſui corporis ſeruaret. Enimuero mors huic nimium familiaris eſt, poſtquam ſero eius commoda turbat, bonis autem talis nequaquam erit, maxime ſi moribus Pithagoræ ornati fuerint, quia mors improba bonis omnem fructum vanum facit, præcipue quem in educandis filijs proponunt, itaque mortales vno ore aſperrimam mortem merito dicunt, quoniam directo ordine ſemper ſeccat. Cum

quis autem proprium animum virtute circundede- rit, is morte erit præſtantior. Nullum enim virtute maius homini munimen eſt in mortem. Nam etſi corpus territur, ac cinis fit, tamen nomen virtutis cauſa perpetuum eſt. quis enim mortalium Plato- nem, vel Socratem, & pleroſque alios ex Philoſo- phis nouiſſet, aut quis Marcum, Latinæ linguæ fon- tem, totq; innumerabiles authores, atque Poetas quaſi circunſpexiſſe diceret, ni virtute ornati fuiſ- ſent; ijs itaque nemo iniquus vnquam poterit obeſſe, verum me duce nomen illorum clarum erit ad fi- nem ſeculi, ac veluti illis diebus deleti eſſent. Ta- men iniquus etiam diſputat de virtute, ſed alterius generis, quoniam æternus fieri cupit, namque rerum malarum habet maximam curam, & nil profutura rum valde periculoſam ſolicitudinem, quia ſic cum corpore nomen effert; cumque moritur iniquus, non habet populum, qui dicat, quo tam cito vir aufertur noſter, quoue trahitur iniquus, namque egregias vi- res intellectus exercuit, dum erumnis miſerum ope- ram dedit, Nomen igitur eius, vt & anima immor- tale erit. quoniam auarus, luxurioſus, ſitq; impius, cui enim prauitati, & inhoneſtis deſiderijs non ob- temperauerit, propterea, non, fortuna illum, ſed ca- ſus ille regit. Ædepol ſanæ mentis eſt eius habitus, quia maiorem laudem ex dictis moribus, quàm ex quibus vis negotijs aſſequi ſperat. Tamen iniquus videtur mihi miſerrimus, quoniam ſe ipſum deci-

pit;

pit; cum tam horridi mores, nec in feris reperiuntur. Legitur enim, quòd maximum animal ſit humanis proximum ſenſibus, quando & intellectus, & obedientia, & officiorum illi memoria non deeſt, & quod eſt præcipuum homini amoris, & gloriæ voluptas, quinimo & maius quid rarum in homine, probitas, prudentia, æquitas, & magna quædam religio Lunæ, ſyderum, ac Solis, tanquam magni Dei cultus hominum. Num hæc tibi videntur præſtantiora; Cui dubium inquit; Sed fama, mirandum eſt, quòd irrationale animal tam clemens, tamque placidum ſit, quando homini in ſolitudine erranti obuiam ſe offert, & ad rectam illum reducit viam, tanquam homo animal ſotiale. Ergo præſtat hominem moribus, dum memoria, & intellectu pollet. Æquidem pollet, quia traditur & virginem in Ægypto adamaſſe, Itaque iniquo viro præſtantior eſt, quod forſan negas, quia iniquus mercator eſt; Præſtat ergo dictum animal. Concedo, quanti autem annonàm emit vili pretio, & venundat pluris inſatiabili auaro, ſed nota modum ementis, quoniam pauca dicã; Sic enim & actum vendentis cognoſces, vnde maxima pars morum dicti efluit. Igitur cum Sol ſcitienté canem cœperit tranſcendere, quilibet ex agricolis poſt reditum cenſum, dum debet alicui, tantum vendit tritici, quantũ reſtituat, quod debet, quod iniquo minime placet, rerum ergo inſatiabilis edicit, nemo quicquam neque frumentum eius abſque gratia

venundet; dum quis ergo hanc vendendi gratiam poſcit, rogitat iniquus, quanti venundat, qui ſi dixerit quatuor drachmis, tum vir tribus omnino vult ſibi vendat, cui miſer nil audet contradicere, quoniam nouit quantum inſtat diſcriminis, quare ſi dono illud etiam vult inuito animo offerre cogitur. Tandem hoc modo orea iniqui calcantur. Cætera vero turba ros e cœlo expectat, quando autem rigens bruma inedia populos præmit, dices, an eſurientibus collecta dono iniquus largitur. Cun fama, proculdubio dū vncæ manus eius auro, argentoue onerantur; ad pondus.n. auri Cererē diuidit, quod vix ēt facit. Certe iā ſpectādos mores habes; garis, imo ſerio dico, quoniā & beatorum vita cedit illis. dictis etenim moribus iniquus valde gloriatur, & gloriari licet; habetur enim ab Eccleſiaſtico; Domus, quæ nimis locuplex eſt, deſtruetur ſuperbia. Arbitror dices nequaquam, quoniam opes iniquum protegunt; Vtinam hoc verum eſſet, ſed aliter in prouerbijs ſapientis inueni, qui confidit in diuitijs ſuis corruit. Ibidem. Non proderunt diuitiæ in die vltionis. Verum iniquus hæc nil curat, quia in ſe ſolum, & prædonum, & furum, & omnium prauorum oculos conuerſos videt, quem illi tanquam regem mirantur, quibus comitatus cum iniquus incedit, plerunque fastu circunuentus inani fatur, nullum ex optimis hominibus cuius vis orbis habere ſe ſantius cum familiaribus, certum eſt, quàm ego me habeo, & gero vobiſcum, vti vobis meis amicis notum eſt, quod & il

li affirmant. Et ego annuo quoque. Decet enim coniunctiſſimum virum eſſe illis, qui eorundem morum doctrinam profitentur, quia dum iniquus turpia pręcipit, & mala, & obſcena monentibus obtemperat. Ideo puto, quòd iam noueris iniuſtitiam, atque impietatem illi præcipuas eſſe, nam & ego quoduis nefandum ſcelus iniquo cariſſimum noui. Itaque nil aliud & proborum, & ſubiectorum animos magis facit alienos, quàm quod tecum euolutum eſt, hoc etiam quilibet iniquus olim deſiderauit, præcipue qui facinus ſyronis quamuis laudem ſuperaſſe arbitrabatur, quo nemo deſiderabat præſtantior eſſe, ſimilis verum fieri optabat. Diſce ergo iniqui tu quoq; inſtrui moribus, dum cupis vt diuina iuſtitia acriter te præmat. quid enim ſi rogas Alexander, vel Aphricanus mortalibus profuit, quamuis præſtantiſſimi fuerunt, nil, dicam, quia iacent, quinimo, Sic vult genus humanum. Tum ille, nequaquam, ſed potius hoc fit, rerum propter viciſſitudinem, propterea cum virtus ab aliquo culta eſt, videtur dignum, quod & ſcelus aliquando colatur. Cum fama; Siquis ergo populis imperare cupit, hæc duo ſeruare proponat, alterum quorum auaritia, alterum vero ſeruitus eſt, quia hæc iniqui ſedile cuſtodiunt viri, ille etiam qui laudat impietatem, illique fauet; ex affinibus alienos, ex amicis hoſtes, atque ex fidis infidos facit; is quoque & peregrinos, & extrema terræ colentes ſuummet concitat in odium, pręterea

quamuis iniquo viro notum ſit, quòd a tali, & auaro homine, omnes velut a cacodæmone diffugiunt, tamen ille Neroni ſemper ſimilis eſſe cupit, namq; omnibus ſub imperio obeſſe tentat, etſi ſontes ſupremo torquet ſupplitio, itaque ob cauſam huius omnis adulatio amanda eſt, quoniã hoc ordine quiſq; iniquo efficitur cariſſimus. At de ambitione eius quid dicam, ſi poſtulas, ambobus brachijs amplectenda eſt, poſtquam & vir iniquus vehementer colit illam, nam ambitio parens eſt omnium malorum, & in medio atrij dicti, nutrix eſt domeſticorum, miranda proculdubio inter præſtantiſſimos iam prædicari poſſunt, quia talia percipientes facile æſtimabunt iniquum amantem eſſe virtutis; Sed cuius forſan quæris, illius cenſeo, ob diſcrimen cuius & caſtrorum turres, & ciuitatum ſuperba mœnia ruũt, & noualia olim quæ fuerant, nunc ſolida tellus, cardone tantum, & acutis ſpinis viret, quod ſi hæc conſpiciuntur, propter communem calamitatem, præſtantioribus officijs oportet, dicas & virtute eſſe ornatum, quod & fama fatetur, quamobrem tuum ob amorem pauca de vera virtute etiam referam, cuius & iniquus dum eſſet poſſeſſor non pœniteret. Et hoc faciam, ne credas maledicis rebus ſemper me eſſe inuolutam, quamquam omnes mores iniqui nondum tibi expoſuerim, quibus minime indulgeres optarem, ſed penitus vellem eſſe alienum; Veram autem virtutẽ non tam ſerues deſidero, quàm etiam

& colas cupio, quoniam remota virtute nullum opus ſit dignum laude. Virtus enim, M. T. teſte, eſt conſentiens cum ratione animi perpetua conſtantia. Sed Pla. dixit, Plane virtutem ad ciuilium rerum adminiſtrationem ſufficientem eſſe. Laus ergo, & gloria virtutis magis, quàm præturæ, aut conſulatus, ſiue quorum vis magiſtratuum dignitas æſtimanda eſt. quando ille; Num iniquus vir olim per virtutem ſolitus erat aſcendere. Cum fama, nequaquam, ſed furtim, & doloſe ad imperia, & honores nitebatur; Itaque hoc modo etiam iniquus nititur, perinde quælibet turpitudo virtute eſſet præſtantior, quia arbitratur vt quidam in lato imperio maximam laudem eſſe. Ego autem compertum habeo cunctis in rebus ſolam virtutem poſſe plurimum, nam quod vis imperium, remota virtute, haud recte regitur; facile autem prouincia dum parta fuerit virtute continetur, ſed mutatis moribus eius ſemper ab optimo ad minus bonum deſcendit imperium, propterea omnes homines omnia virtuti parare deberent. Et qui vitam otio prætereunt, fatentur animam illis onus quodam eſſe, quod turpiſſimum cenſeo. Tamen iniquus vir tempus otioſum maxime laudat, & damnat illum, qui aliquid poſteritati parat, quod, ni fallor, tu quoque minime laudas, quia talis cum recedit a ſeculo inſtar luminis extinguitur, cuius poſt fumum non niſi fœtor grauis ſentitur, vt e ſumma ſolet putredine. Itaque nil ignaro homine reperies indecentius, quod

*cum ita ſit, puto rectiſſime Socratem dixiſſe. Nullam maiorem omnium rerum, quàm virtutis eſſe gloriam, quam qui vultu ficto, aut inani oſtentatione ſequitur, vehementer errat, quoniam ficta velut flores Sole depreſſi cadunt, nihil enim ſimulatum poteſt eſſe diuturnum. Tamen præcor diſputantis etiã* Marci *audi ſermonem dè virtute, nam inquit; Isti calidi rerum æſtimatores prata, & areas quaſdam magno æſtimant, quanti igitur virtus eſt æſtimanda, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur, qua ſi qui præditi ſunt ſoli diuites, ſoli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas. Ideo quanto animo, quibus viribus virtuti incumbere vir debet, iam tibi notum eſt; propterea tu quoque dum virtutem dilexeris eo animo, quo te, & amicos amas, dicam, prudentis opinioni faues, quia præ cæteris omnibus virtutem colendam eſſe inſinuit, namque omnia bona facile quieſcunt cum virtute, dum illi non repugnant. Sed ne penitus videar oblitus morum iniqui, vnde egreſſus ſum, redibo, quoniam turpe eſt omittere, quod propoſui indefinitum; Demum omniũ cupidus eſt iniquus, & rapax videri cupit, namque vel vi, vel iurgio potitur illis, quæ ſub imperio homines ſiue cariſſima, ſeu pro delitijs habent. En quàm laudatiſſimi mores, quia fungitur officio cui & mors ipſa cedit.* Recte *igitur* Pontanus; *Hinc proſcriptiones, exilia,*

cruciatus,cedes;hinc etiam poſtea contingit vere illud dici. Ad generum Cereris ſint,cæde,& vulnere pauci deſcendunt reges,& ſicca morte tyranni. Ad quid enim quiſpiam viuit in hoc ſeculo, niſi vt in ſuo genere clarus appareat, quod cum vulgo deſideratur,egregie iniquus ornauit ſe,& familiam, vt & ille in ſuo genere illuſtris eſſet. Ex dictis ergo,& temperatos apetitus, & modum continentiæ a turpibus cognouiſti. Et quantas vires virtus habet, audiuiſti. Egregium ergo nomen fac tecum geras, namque & iniquus idem ſecum gerit. Vides enim quot eius facinora extant, a quibus fugiendum eſt, dum verus vir haberi cupis,ne tua dicti ſimillima facinora videantur, non enim viri, ſed carnificis tua officia eſſent, Ideo & reſiduum virtutis, & morum iniqui percipias, quoniam illis dictus vir propriam auget maieſtatem,præcipue cum inquit, nil turpius eſſe viro,quàm promiſſam fidem ſeruare. Si cui ergo nuper iniquus illam præſtiterit, eundem quàm primum tacita fraude obducit; Meminit enim, vt Nero,neque fidem ſpondebat, neque deſponſatam ſeruabat. Itaque iniquus damnat illum,qui aſtrictam fidem ſeruauit Pœnis,tamen vt conſtans animo regredi non timuit; Meminerat enim, vt fides hoſtibus etiam erat ſeruanda;quamuis notum eſſet illi ſe moriturum apud Aphros poſtquam rediſſet. Verum de mente iniqui vtilius erat non ſeruaſſe, quoniam deceptionem iniquus partem propry honoris dicit

eſſe;propterea dum quis e ſeruitio eius recedit, triſtis ſlocipendit iniquus, cunctis vero ſuæ domus, mollibus,atque mulieroſis,etſi infames eſſent, omni officio ſatisfacere ſtudet;Sunt enim illi familiares, inter quos ſecure,& diu viuere ſperat.Itaque hæc ſunt ea,quibus præſtantia eius cognoſcitur, cuius ad probitatem dum cogor deſcendere; Nil inuenio, quod illi tantum proprium ſit, ſed quod probitati eius competit, illud& moribus; propterea quicquid moribus tribuero, illud & probitati aſcribendum erit; Magna namque laus eſt iniqui, & maximum indicium probitatis eius, cum ab vrbe recedit viſurus caſtrorum tuguria, quia iubet oppidorum incolis non tam atria auleis ornent, quàm & lautiſſima parent conuiuia, quia moraturus triduo venit, vbi quando quid minimum de voluntate non inuenerit, triſauci ore minatur,quanta eſt hæc probitas viri erga proprios colonos, quid autem dicam, erit erga aligenienas. Cum ſama vix tecum audeo loqui de talibus,tamen pro viribus omnem eius tibi exponam doctrinam,quo indocilis a me non recedas;Demum poſt conſumptum obſonium primum iubet iniquus procaces veniant,qui confeſtim accedunt,quibus ille,omnes formoſiores celerrime conuocate,vt colætemur cum illis; cupit enim iniquus pulchriori potiri, itaque dicti mandato iniqui parentes conuocant oomnes formoſiores,ineũtq́;tripudia,choreas,& chorus;dumque ſaltatur, iniquus vir venuſtiorem oppugnat,

pugnat, pulchriorem faſtidit, & cum formoſa certat, donec deſiderio eius ſuccumbit, quod ſi illa virum timeret, tum viro eius negotium aliquod expediat, iniquus imponit, illud maximi loco beneficij aſcribens, cui miſerrimus ille præter voluntatem parere cogitur, quamuis certus ſit ceruorum cornua parentur illi, vt & ille cum pleriſque alijs ſortiatur egregium nomen cornigeri, cornua non geſtans apparentis. Tandem remoto viro pulcherrima ſuccumbit; Demum quàm clara probitatis ſunt hæc officia iniqui habes; Sed poſt completum turpem acubitum perquirit ſi quæ litigia, aut iurgia inter ciues iacent mortua; namque ea excitare cupit, vbi autem iura ſunt, dum poſcis, fateor apud iniquum graui ſopore oppreſſa ſunt, quoniam virtutem legis nil æſtimat ille, quinimo irridet, quod vulgo fertur, facilius extinctum hominem reuiuiſcere, quàm deſerta iura non tam defendere, verum etiam repetere, Præterea cum quid recte etiam conditum inuenerit, & iniquo non fuerit cordi, ſubuertit illud; quodque enim officium dicti calamitoſum eſt, nam ſemper declinat indeterius, quod ſi rogas quo modo hæc mihi innotuerint, an neſcis famæ omnia eſſe notiſſima, præterea hæc eadem noui quendam virum diu obſeruaſſe, nuper etiam, vt defeſſo ex itinere longo, & ſuper aridam proiecto, obdormienti, vt vigilanti viua vox artus perteruit, inquiens, nec

*uit populus quo animo honorem viri huius ſeruaſti; Sed cum ſcelus eius amplius pati non poteſt, decreui & ipſius noſcas probitatem, quia non adeo peregrinos odio habet, verum & proprios ciues, hoc demum & populi vox eſt, namque iam publica voce fertur, quòd in hoc viro tanta eſt virtus animi, atque in ſcelere magnitudo, vt non tam notos, quàm etiam incognitos populos, in propriam cladem concitauerit, quod tibi famæ nondum conſliterat, Tum ego velut qui naufragium paſſus fuerat inter fluctus maris vix reſcipiſcens, noui, quòd vox illa in ſomnis mihi retulit; Credebam autem illum vniuerſum populum regere diuina potius, quàm humana iuſtitia, verum poſtquam omnes eiuſdem prouinciæ ferunt oppoſitum, & mihi famæ idem confiteri licet, quod dum & baſilea contexerit, laudandum eſt; quis namque tam egregiam probitatem poſteritati recondere pulchrum non æſtimabit, præſertim cum ſimulatio hac tempeſtate cuique præcipua eſt, atque in futurum ſperatur idem eſſe, nam & iniquus vir de quo ſermo noſter cum domeſticis frequenter ratiocinans, ait, nil melius ſimulatione voluntas noſtra ad ſe poterat contrahere, quoniam prohibet, ne aliquo inopinato caſu vir oppreſſus tanquam nauis tempeſtuoſis fluctibus euerteretur; Recte arbitror dicebat, cum nec populum monere, nec ſe regere ſciebat. Neceſſarium æqui-*

dem hunc vitæ præſidium elegerat, quod in aduerſis illum facile cuſtodiret, hoc idem igitur homines tam fractæ, quàm infractæ fortunæ, tum ſolatij, cum ſubſidij gratia deſiderare debent. Veh tamen iniquo, qui in his ſeuerus videri cupit, quorum malos reprehendere ſantius foret, itaque magnum honorem nepotibus relinquit ille, qui in aduerſis caſibus amicos non modo deſerit, verum etiam præmit, igitur peregregie iniquus æſtimat turpe eſſe amicorum velut communis vitæ curſum comitari, vbi vero felix diripiendo iniquus dici poteſt, diu morari cupit, Et familiaritatem irridet eorum, qui proprijs corporibus amicum protexerunt, dicit etiam & Damonis, & Pithiæ non amorem, ſed veram inſaniam fuiſſe. Tamen dum vir iniquus in hoc opere tantum ſimilis eſſet Siracuſano, non adeo præruptum in montem fugiſſet fama, verum quia iniquus vir Nerone optat videri crudelior, licet mortalibus omni ingenio ſuperos exorare, vt poſt obitum dicti non contingat amplius talem virum videre, neque horribili nomine eius aures offendere, maxime ſi nititur, vt deleatur Valerij illud clariſſimum, Proh magnum & inexſuperabile tuum nomen amicitia. Nunc autem ſi quæris ad quid iſta retuli, breuibus aperiam. Sæpe iniquus ſuis in accommodandis rebus exercet ſe, vt auidus agricola, qui per aliena prata currentes riuulos in ſua ſitibunda arua dedu-

*cit, non cogitans quantum damni infert vicino. Tum ſi vicinus lamentari audet, vitam laqueo proculdubio finit, quod ſi hoc diffugit etiam, ad perpetuos errores certum eſt, proſcribitur. Sed his alius modus eſt probitatis, dum quis e familia iniqui tentat recedere, omnem ſeruitium viro nititur aperire, præcipue quando aliquã miſere amat. Tum iniquus, noui, vt fideli animo omnia officia feciſti impoſita, & nunquam aliter, niſi perfecta re conquieuiſti. Cum ille; Loco ergo mercedis tuum mi vir fauorem poſco, vt fruar tantum illa, quæ meum cor poſſidet. Iniquus autem omnia ſpondet, quoniam & deſponſatam vi ſurripit, quando aliter nequit; namque quod imperio non valet, id propria vi facit; quanta ergo eſt hæc probitatis excellentia; Quando ille magna ædepol; Sed fama imo maxima, nam vir iniquus arbitratur vitam optimam eſſe, remota amicitia, quam M. T. neceſſariam eſſe, his verbis oſtendit. Quid dulcius, quàm habere quo cum omnia audeas loqui, vt tecum. Sed iniquus quid iucundius, quàm ſecum quodque proprium opus percurrere; quis enim magis ſe ipſo fidelis ſibi. Idem autem Marcus, quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æque ac tu gauderet. Iniquus vero, quæ maior eſt animi cura, quàm videre externum virum iſdem rebus frui. at Tullius, Aduerſas vero res ferre difficile eſſe*

*ſine eo, qui illas grauius etiam, quàm tu ferret, quod iniquus non timet, quia aduerſa imponit miſeris, quod vtinam fuiſum eſſet.* V*erum* Arpin*as,* Denique *cæteræ res, quæ expetuntur* opportun*æ ſunt ſingulæ rebus ferre ſingulis, diuitiæ vt vtare. Cum iniquus,* S*olus ſecum, opes vt colere,ait, ille tanquam quid ſacrum, namque decent præcipue iniquum, honores vt laudare, hos affirmat dictus ſibi proprios,voluptates, vt gaudeas.* T*um iniquus, nil magis conuenit illi, valetudo, vt dolore careas, hac tantum de re iniquus quæritur; dicit enim nunquam ſe functum fuiſſe hoc munere naturæ, quod vtinam verum eſſet, quoniam tot diſcrimina non paterentur mortales;* D*emum probitas huius viri plurima in ſe clariſſima continet, namque quouis vertitur, confeſtim leui murmure excluditur, nec vnquam adeo tarde moleſtus fit alicui, quin pluſquam tempeſtiue non iudicatur fuiſſe, itaque populus aqua, vel igne, ſiue aere, tam libenter non vtitur, quàm libentius hoc viro non abuteretur.* Ideo *nil deterius a dijs immortalibus datum eſt hominibus, iniquo viro; quamuis nonnulli putant epidimiam deteriorem eſſe,quæ? tamen vnquam erit hoc viro belua ſæuior, etſi multi maris procellam, plerique cœli tonitrua, & tempeſtates magnas, æſtimant deteriores.* T*amen ego hæc omnia leuiora puto, atra bili dicti; refert etiam iniquus, quòd populus non ob amo-*

rem, ſed propter timorem paret illi. Itaque cenſeo æſtimas iam miranda retuliſſe famam; verum, homini impropria, at congrua beluis, ait ille. Cum fama, Quid ni, poſtquam dicto viro penitus deeſt intellectus cum ratione. Siquis igitur ijs moribus pollet, num preſtantior ſit belua, mox aperiam; quiſquis ſolidos homines, vel boues, aut iumenta, vel pecudes haurit, quodque ſæuiſſimum animal præſtat ferocitate, ſed iniquus eſt talis, ergo & aconitum Idræ cedit illi, nam qui ratione caret ſtultus eſt; & chriſtatum animal, quod in Æthiopia naſcitur, hoc viro mitius eſt, Leo etiam, quem Libia paſcit, ſuppremis viribus inſignitus, & ipſo homine minori intellectu dotatus mitior iniquo eſt, quia ferunt Leonem proſtratis hominibus tanquam veniam petentibus peperciſſe, Num hoc igitur viro clarior; vah quanto nox eſt obſcurior Sole, tanto iniquus Leone ſæuior eſt; Leo namque nec dolis, neque ſuſpectu circumuehitur, nec vnquam, vt iniquus, limis oculis quemquam intuetur. Quid autem illis de animalibus dicam, quæ frequenter ad hominem vltro confugiunt, cum præſertim ea vis casum vrget, tanquam refugium vitæ petentia; Aſt ab iniquo velut ab Idra, ſiue a peiori animalium etiam in neceſſitatibus homines diffugiunt, vt neque in extremis fortunæ caſibus illum videre vellent. Itaque & caduca, & incerta, & quæ ni-

manu poſita ſunt inſtabilis fortunæ, iniquo meliora ſunt, quod ſi aliter iudicas vehemētiſſime deliras, nā hæc homini magis proſunt quo vis iniquo, quamuis inſtabilia ſint; Fortuna igitur ſemper cuſtodienda eſt, quæ & ſi quando hominem ſpoliat, tamen eadem & pulchriori veſte eundem aliquando prætegit; deficiente ergo fortuna, quis populos ab iniquis protegeret, quoniam iniquus vir ruit impetu canis, & miſeros ferro etiam ſecat, quo modo tandem a pluribus dictis protegerentur populi, dum ab vno tantum iniquo tueri ſe non valent, quod ſi contra affers populum ex iſdem rebus compactum eſſe, quia natura pariter membra diſtribuit; Hoc autem certum eſt, quòd inepto quoddam iure contra iniquum non audent; namque ſi miſeris, quid, præter ſpem accideret, vt ſæpe ſolet, omnibus proculdubio vires deficerent; Ex improuiſis enim cui vis & fortiſſimo vires fluctuant, & oſſa tremor occupat, & palor inducitur vultui, quibus, populi impares animos iniquo oſtendunt; Sin vero, vt ex prouocatione controuerſia nota eſſet hoſtis, arbitror pari & animo, & viribus contenderetur, quia laceſsiti homines, aut prouocati ad iniuriam, fortius pugnare ſolent; dum igitur vno tantum cum iniquo contenderetur, forſan nullum diſcrimen eſſet, ſed quoniam ſecum inſurgunt & domeſtici, & familiares, quorum prima acies procacis eſt, ſecunda fu-

ris, tertia mœchi, quarta teſtis iniqui, quinta bo-norum detractoris, ſexta fraudis pleni, ſeptima vero lectoris, quorum vis malorum; quis ergo hac in militia fortiſſimus victor eſſet; potiſſimum ergo vinculum fortunæ eſt, quæ ſemper iniquo viro obſtat, nam etſi forti Tritano quis acrior eſſet, qui inermi pollice hoſtem ſuperauit, & quoque magnus Theſeus illi cederet, & ipſo Alcide præſtantior diceretur, & viribus inualidum, & animo imbecillem iudicarem, quoniam æquitas, iuſtitiæ; virtus, ignorantiæ; libertas, ſeruituti; innocentia, peccato; & fortitudo, ignauiæ, cedit. Propterea non prodeſt fortiſſimo, rectos, atque tranſuerſos cancelatim toto in corpore neruos habere, qui fortitudinem, ac robur præſtant corpori, quia ſub imperio iniqui, aut nil homini proſunt, aut penitus deficiunt, Quid igitur faciundum eſt, inquit ille. Cum fama, obſequendum eſt ne noceat iniquus, timendum enim eſt, ne eueniat, vt legitur accidiſſe Sicinio Dentato, quem hoſtes innumerabilibus cicatricibus ex prouocatione grauiter affecerant, quamuis & Seruilium magiſtrum equitum proprijs manibus, & Capitolij Arcem, & ſummam rem in ea ſeruaſſet, ſiue, vt potius dicam, ne in Sergij diſcrimine genus verſetur, cuius & nepotibus virtus erit nota. Veh igitur & fortiſſimis, & regnum iniqui tuentibus. quid autem erit quando horum nil fecerit populus,

pulus, reor nec viuis, neque defunctis locus in prouincia erit; heu quo pietas, quoue ſacra fides fugit, quia dum quis immenſa pro viro tanquam pro dulci patria fecerit, longe pellitur regno. Enimuero mercenarij iuſta eſt hæc merces, & quoque probitatis maxima laus iniqui, propterea & patria, & ciues, & ſenatus ipſe ijs pro virtutibus plurimum iniquo viro debent, itaque referendum eſt illud, quod olim dicebatur, dum ſecunda fortuna aſpirat in conſtruendis coronarum aceruis omnes blandiuntur; mutata autem illa omnes quoque mutantur, nec mirandum, nam vbi mala mens eſt, & peſſimus animus erit, ſemper malis rebus lætabitur, neque mutabitur, vt fortuna, quod virtuti, & conſtantiæ iniqui aſcribitur, multum etiam refert in quę cuiuſque virtus tempora inciderit, nam Sergius ſolus omnia & fortunam ſuperauerat; poſtremis autem vitæ diebus gratia tantum virorum defuit illi, qui ſi in militia occubuiſſet, opinor, non defuiſſet, moriundum itaque fuerat, quoniam morte ſola beneuolentia iniqui ſeruatur; cui ſi quando cum aliquo controuerſia naſcitur, tum gratiam eius optantes pro illo certare ſtudent, quibus poſtquam conceſerit, non eorum victoriæ, ſed morti aſpirat, qui dum præſtantiores comperiuntur illis, qui Gorgonas, atque Amazones, & ipſam furentem Pentheſileam ſuperauerunt, & quoque

*ſortiores videntur illis, qui exercitum* Regis Per*ſarum deleuerunt, quem numero ingenia mortalium comprehendere non poterant, dum victores fiunt, nil præter odium aſſequuntur, nam redeuntibus a certamine, infectis innumerabilibus vulneribus, ait, nihil egregium feciſtis, quoniam pariter cum hoſte occumbere debueratis.* Itaque *hoc eſt & ſumma morum, & probitatis viri iniqui.* Cum *ille,* Non *quas deberem, verum quas poſſum famæ refero gratias;* Hæc *enim mihi exemplo erunt, ne ipſe, etiam a poſteris, vt is damnari poſſim.* Tamen *ſi quid vltra ſimillimum ſcaturit, rogo, enucleas, quoniam mihi iucundiſſimum erit. Quando illa;* Plurima *certe mihi ſe obijciunt, quæ in aliud tempus transferre conſtitui, nec credas hæc me mordaci lingua retuliſſe, verum volui cauſam cognoſceres mei diſceſſus.* Itaque *his dictis manu labia compeſcit fama, atque euanuit.* Cum *autem bonus ille ad nos reuerſus eſſet, omnes in illum conuertimus oculos, quoniam præmiſſos mores probatiſſimos efferebat, quibus hac tempeſtate omnes iniqui vehementer capiuntur, bonorum autem hominum nemo, verum dant operam illis, quibus honeſtam famam poſſint ſeruare, noſcunt enim, quòd bonis moribus ornatum, & laudabili probitate circundatum, & amant mortales, & colunt.*

FINIS.

Romæ in Platea Peregrini apud D. Hieronymam de Cartularijs, Sumptibus Autoris.

M. D. XLIIII.

Menſe Octobri.